



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

Liber CLXXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ

LIBER CLXXXI.



CLEMENS VIII. PONTIFEX MAX.

RUDOLPHUS II. OCCID. IMP.

§. I.

*Gondius Cardinalis Romæ Papam
salutans.*

Jam supra memoravimus ingentem
prorsus sollicitudinem, qua Gon-
dius Cardinalis Romam veniendi
licentiam a Papa impetrare studuerat:
tandem vero ejus conatibus optatus ad-
spirabat successus, ea tamen lege, ut
haud amplius de Franciæ negotiis men-
tionem faceret, cum tamen Cardina-
lis hanc unicam itineris sui rationem
haberet: verum eo comperto Pontifex
eidem clam promisit, ut in privatis
duntaxat conventibus hujus regni ne-
gotia procurare, ac ibidem Regis jura
studio urgere posset, simulque expositis
Cleri Gallicani corruptelis, & necessi-
tatis

Sæcul. XVI.
A.C. 1594.

*Avila l. 14.
Lett. de
Card. D'of-
sat tom. 1.
Lett. au Roi
22. Decembr.*

Hist. Eccles. Tom. LI.

Ff

Sæcul. XVI. **A.C. 1594.** tibus rationes proponeret, ob quas extremum in Francia Religionis excidium timendum esset, si diutius, ac pertinacius petita absolutio Regi denegetur: insuper Gondius jubebatur nullum non movere lapidem, ut hæc res ad prosperum deduceretur exitum: enimvero summus Pontifex specietenus coram Cardinalibus flecti nescius apparebat, & Henricum IV., ejusque fautores carpebat, dum vero cum privatis res agebatur, longe alium se ostendit, quinimo immensa affundebatur lætitia, cum hujus Regis res juxta expectationem progredi intelligeret: ad hæc Gondio Cardinali tandem declarabat, quod Henrico desideratam absoluteionem impertiri velit, adjunctis tamen quibusdam conditionibus, ex quibus tum non nisi unicum manifestabat, eratque hæc, ut Juvenis Princeps Condæus ab hæreticorum consortio separaretur, eo quod Henrico prole mascula destitute ipse aliquando solium conscensurus esset, proin illum in Religione Catholica educari expediret. Henricus de hoc Pontificis petito certior factus mox illius voto satisfacere festinabat.

§. II.

Sæcul. XVI.

A. C. 1594.

*Gondius Cardinalis Roma Parisios
reversus.*

Cum Henricus hac actione luculentum suæ erga Pontificem obedientiæ testimonium ederet, paulopost Gondius Cardinalis in Franciam redux Lutetiam Parisiorum, cujus urbis Episcopus erat, venit, atque primas eo curas intendit, ut tam regulari, quam sæculari Clero injungeret, quatenus pro Regis Christianissimi conservatione consuetas preces funderent, ac eundem Henricum IV. tanquam verum, & legitimum Franciæ Regem omnino venerarentur: cum autem Religiosorum nonnulli sese opponerent, illos Cardinalis acerbis verbis objurgans inhibuit, ne amplius ipsius conspectum subirent; Postea Fœderatorum nonnulli de hac Cardinalis severitate datis Romam literis summum Pontificem certiores reddebant, rem iis depingentes exaggerationibus, quas seditionis libido inspirare poterat: equidem Papa hanc Præsulis agendi rationem se minus ratam habere simulabat, quinimo assererat, se illum data temporis, occasionisque opportunitate ob hanc culpam castigaturum, mox tamen adjunxit, quod spectata Gallicarum rerum vicissitudine jam accensum

Ff 2

ignem

Sæcul. XVI. ignis novis flammis augere non conve-
A. C. 1594. niat: enimvero prudens erat hæc Pon-
 tificis animadversio; quippe vel soli Hi-
 spani suis artibus tot tumultus, ac dif-
 fensiones excitabant, ut abs dubio re-
 gnum extremo involutum fuisset exitio,
 nisi Deus visibili etiam suo præsidio
 illud tutatus fuisset.

§. III.

*Henrici consilium de bello Hispanis
inferendo.*

Cum ergo Henricus diu admodum ejus-
 modi Hispanorum molimina non
 sine animi sui mœrore tolerasset, tan-
 dem occupatis pluribus majoris mo-
 menti urbibus, copiosissimo suorum fau-
 torum numero suffultus, in Senatu de-
 creverat, quod etiam interiora Hispanici
 Regni loca armis depopulari velit. Cum
 vero ex hac expeditione maxima mala
 oritura probe prospiceret, priusquam
 hoc consilium executioni dabat, ad
 Arthesiæ, & Hannoniæ Ordines hæc
 perscripsit: „nisi copias vestras a Fran-
 „ciæ finibus educendi licentiam ab Hi-
 „spaniæ Rege petieritis, atque hostilia,
 „prout hucusque fecistis, in Camera-
 „censes, & illius Metropolis incolas
 „subditos meos in fidem meam receptos
 „exercere cessaveritis, armorum meo-
 „rum æquitatem clandestinis vestris
 „confi-

„confiliis, quæ adversus me cuditis, Sæcul. XVI.
 „opponam. „ Receptis hisce regis lite- A.C. 1594.
 ris Archidux nullum reddidit respon-
 sum, quocirca utrinque bellum paratur,
 ac jamjam Rex ad Arthesiæ fines co-
 pias suas admovens Audomaropolin,
 & Atrebatum inopina vi obruere ten-
 tat: verum vani erant illius conatus,
 unde ingravescente hyemis rigore inde
 reverti coactus die vigesima septima De-
 cembris Parisios venit, in Buchagii Pa-
 latio prope Luparam diversatus, atque
 ocreis nequidem exutis Liancurtiæ,
 quam plurimi habens sua amicitia digna-
 batur, cubile ingressus est, comitantibus
 eum SueSSIONENSI, & sancti-Pauliano
 Comitibus, pluribusque aliis Proceribus.

§. IV.

*Rex a Joanne Castello in labiis vul-
 neratus.*

Henricus cum ad excipiendos duos
 Belliduces, qui eum salutatum ve- Avil. l. c.
 nerant, propius accederet, juvenis qui- Journal l. c.
 dam Aulicorum turbæ immixtus Re- Jouvenci.
 gem usque ad cubile comitabatur, de- hist. Soc.
 mum vicinior factus cultrum Regis collo- t. 2. part. 5.
 ingere tentat, cum vero Henricus eo-
 dem momento utrumque hunc Bellidu-
 cem genuflexum erecturus sese incli-
 naret, ictus nonnisi maxillam inferio-
 rem prope labia attigit, ac culter ad

Ff 3 den-

Sæcul. XVI.
A.C. 1594

dentem allisus haud ultra penetrans ob-
torpuit: mox autem, cum Rex se vul-
neratum esse exclamaret, Sicarius e-
cubili aufugere tentat, cum vero fores
essent occlusæ, in Sueffionensis Comitis
manus incidit, ubi prius cultrum, quo
Regem percussit, fugam arripiens in
terram projiciebat.

Erat hic Sicarius novemdecim an-
norum Juvenis nomine Joannes Castel-
lus Parisiis locupletis mercatoris Filius,
tætræ indolis, ac vita omni vitiorum ge-
nere inquinata semper infamis, qui sibi
persuasum habebat, quod Rex Ecclesiæ
re ipsa reconciliatus non esset, insuper
cum eum tyrannum esse sentiret, si illum
trucidaret, ingens Deo obsequium se
præstiturum existimabat: ceterum
abs dubio irruente turba mox debitas
sceleris sui pœnas dedisset, nisi Rex illo-
rum, qui eo inspectante hunc Parricidam
in frustra discerpere parabant, intempe-
stivum fervorem cohibuisset, præcipiens,
ut supremo Palatii Præfecto traderetur,
qui eum etiam ad carceres conduxit.

S. V.

Joannes Castellus examinatus.

Paulo post primo coram Parisiensi Præ-
tore, ac postea in Senatu de suo
crimine interrogatur, ubi semper idem
dederat responsum, fassus, quod jam a
longo tempore Regem trucidandi occa-
sionem

sionem quæsiisset, hancque actionem **Sæcul. XVI.**
 tantopere ad Religionis Catholicæ, Apo- **A.C.1594.**
 stolicæ, Romanæ incrementum condu-
 cere etiamnum existimaret, ut fallente
 nunc iectu, adhucdum Regem occidere
 tentaret, si occasio sese offerret: de ce-
 tero autem cultrum, quo usus fuisset,
 nequaquam veneno illitum fatebatur,
 sed illum pro quotidiano ad mensam
 usu e Patris sui domo attulisse affirma-
 bat: postquam vero interrogatus fue-
 rat, an, & in quonam Collegio literis
 vacasset, respondit, quod in Collegio
 Parisiensi apud Patres Jesuitas sub Pa-
 tris Guereti magisterio per triennium,
 & nuper in Universitate jurispruden-
 tiæ Scholam frequentarit, ac feria sexta
 pridie, quam hoc facinus perpetrasset,
 præfatum Patrem visum venisset, eo
 duntaxat fine, ut circa quædam crimi-
 na legi naturæ adversantia, ac a se per-
 petrata conscientiæ suæ scrupulos de-
 ponere, atque ab eodem consilium, so-
 latiumque percipere posset, quamvis
 nullius ex consilio, sed proprio suo in-
 stinctu sibi persuasum habuerit, quod
 Regem interficiendo sua peccata ex-
 piare, aut saltem promeritam pœnæ
 æternæ gravitatem imminuere valeret:
 quinimo etiam gravissimis tormentis ex-
 cruciatus usque ad ultimum vitæ hali-
 tum constanter asseverabat, quod nec

Sæcul. XVI. Pater Gueretus, nec alius quicumque
A.C. 1594. Jesuita ullo pacto hujus criminis parti-
 ceps esset.

§. VI.

*Seditiosa scripta in Patris Guinardi
 cubiculo reperta.*

*Thu. l. III.
 Avila l. 14.*

Insuperhabita hujus rei declaratione
 Senatus quatuor deputabat Consi-
 liarios, qui ad Jesuitarum Collegium
 delati, abdita scrutabantur, ac lustratis
 pluribus cubiculis in cubili Patris Joan-
 nis Guinardi, qui patria erat Carnuten-
 sis, inter alia scripta reperiebatur charta,
 quam ipse anno millesimo quingente-
 simo octogesimo nono eo tempore, quo
 Henricus II. occisus fuerat, scripserat:
 præter hanc vero chartam quidam e-
 tiam inveniebantur libelli partim typis
 impressi, partim scripti, ac contume-
 liosi tam in Regem defunctum, quam
 illum tunc regnantem: porro hisce li-
 bellis, quos indiscreta curiositas affer-
 vabat, omnes postea exorti tumultus
 sua debent incunabula.

§. VII.

*Castellus præfente Patre Guereto in-
 terrogatus, ejusque Parentes
 comprehensi.*

Thu. l. III. Altera die congregata utraque Curia
 Pater Gueretus producit, ac pro
 more

more sceleratorum in Banco juris, ut Sæcul. XVI.
A.C. 1594.
 vocant, ab ipso primo Præsede interro-
 gatus, dein vero ad cubile, ubi rei quæ-
 stioni subjiciuntur, conducitur, atque
 singulari admodum patientia tormenta
 sustinet, constanter se esse innocentem
 asseverans: cum autem Castellus fassus
 esset, quod suo Parenti suum propositum
 manifestarit, hinc tam Patrem, quam
 ejus Matrem, omnesque illos, quibus-
 cum Castellus ipsa die, qua scelus per-
 petrabat, prandium sumpserat, com-
 prehendi, necessarium fore ducebatur:
 dum vero tota Patris sui domus lustraba-
 tur, libellus proprio parricidæ chiro-
 grapho scriptus inventus est, in quo
 ipsemet omnia scelera a se perpetrata
 juxta Decalogi præceptorum ordinem
 conscripserat: hoc igitur scriptum, cum
 a se exarratum fateretur, se ideo con-
 fecisse asseruit, ut confessionis tribunal
 accessurus memoriam juvaret.

§. VIII.

Joannis Castelli supplicium.

Ergo in hunc miserum debitæ decer-
 nuntur pœnæ, ac die vigesima no-
 na Decembris anno Salutis nostræ mil-
 lesimo quingentesimo nonagesimo quar-
 to Senatus Curia mortis sententiam
 pronuntiavit, quæ etiam eadem die reo
 prælecta est, eoque facto denuo reus

*Thuan. &
Avil. l. c.
Dupleix hist.
d' Henry IV.
Journal l. c.
pag. 67.*

Ff 5

non

Sæcul. XVI

A.C. 1594

non modo consuetis, sed etiam insolitis tormentis subjectus, haud plura fatebatur, quam ea, quæ jam antea ad quæstionem vocatus asseruerat. Demum ad Beatissimæ Virginis Templum deductus. ante Ecclesiæ fores, et si maximo frigore aer horresceret, invicta tamen constantia nudus, atque erectus, ac nequidem tremulus subsistit: insuper ob tormentorum, ad quæ damnatum se noverat, crudelitatem nullum timoris inditium prodebat: porro ea, quæ in hac sententia erant contenta, pronuntiare iussus, id voce ad contemptum composita præstitit, exinde vero colligebatur, quod suæ opinioni firmiter insistens, nullum de perpetrato crimine dolorem conceperit: postquam vero veniam a Deo, ac Rege petere iussus fuerat, manu cultrum, quo Regem occidere tentabat, gestare coactus ad Portuensem plateam deducitur, ubi corpus ejus a quatuor equis membratim discerptum est, ibique observatum fuit, quod toto supplicii tempore, et si ejus brachia, & femora ardenti forcipe discerperentur, ac cuncta membra dilacerarentur, omnia hæc tormenta vix sentire visus, nequidem ullum doloris sensum, imo nequidem vel minimum clamorem flebilem ediderit: unde hoc monstrum propter tam invictam, qua mortem sustinuit,

nuit, constantiam, a foederatis veluti Sæcul. XVI.
Martyr deprædicabatur. A.C.1594.

§. IX.

Senatus consultum contra Jesuitas.

Eodem decreto, quo hic sceleratus dam- Argentre
nabatur, pariter sancitum, ut Cla- l.c. p. 524.
ramontani Collegii Patres, & Scho-
lastici, omniaque alia Societatis Jesu
membra, e Parisina urbe, omnibusque
aliis civitatibus, & locis, in quibus Col-
legia possidebant, tertia post intimatum
hoc edictum die, ac evoluta tredecim
dierum spatio e toto regno emigrarent,
si vero non obedirent, in eos tanquam
Majestati reos animadverteretur, nec-
non eorum bona tam mobilia, quam im-
mobilia ad opera pia destinarentur, ea-
que arbitrio Curix distribuerentur: insu-
per interdictum est cunctis Regis sub-
ditis, ne ad scholas Societatis illius
extra regnum pueros literarum addiscen-
darum causa mittant, poena perduel-
lionis in eos, qui contra fecerint,
sancita.

§. X.

*Hispanorum molimina in Scotia
adversus Angliam.*

Interea Hispani ad excitandos in Sco- Cambden
tia tumultus invicto studio omnes im- ann. Regu.
penderant vires, simulque Catholicis Elif. ann.
spem 1594. Spond.
ann. hoc n. 25.

Sæcul. XVI. spem fecerant, Hispaniæ Regem validas submissurum suppeticas: hisce vero turbis jam olim datum erat initium a Francisco Botvelio, qui bina vice Jacobi VI. Regis vitæ infidias struxerat, erat enim hic Comes instabilis, & turbidi animi Vir, qui a Rege exitium sibi parari veritus cum Huntlejo, Anglo, & Evrolio Comitibus in hoc Regno extirpare moliebatur: porro cum Jacobus Botvelii consilia detegeret, idem carceri mancipabatur, a quo tamen fuga elapsus in Angliam secessit, postea a Scotiæ Ordinibus tanquam patriæ proditor declaratus: dum vero quidam Sacerdotes Catholici, perinde ac si pro religionis Catholicæ defensione cum quibusdam Nobilibus egissent, insimulati fuerant, mox Protestantes legem condi curabant, vi cujus is, quicumque sectam in regno stabilitam, scilicet Calvini hæresin non amplecteretur, ab Ecclesia excommunicatus (*) censetur, ac proximo anno omnia ejus bona proscribantur: cum autem pariter Catholici falso in crimen vocarentur, quod Angliæ,

(*) Risum teneatis amici! ab unione Ecclesiæ segregant illi, apud quos nulla est fidei unitas, sed continua dissensio, nullusque ordo, sed sempiternus horror.

Angliæ, & Scotiæ Regna Hispaniæ Sæcul. XVI. A.C. 1594.
 Regi afferere adlaborarent, hinc Angliæ Regina Jacobum VI. eo impulit, ut adversus Catholicos severissima conderet edicta: quapropter hic Princeps congregatis Regni Ordinibus quosdam Comites Hispanis addictos exilio multare decernebat.

§. XI.

Liber de Scotiæ Rege ab Anglici sceptri successione excludendo.

Catholici cum sua consilia exequendi, ac præcipue Religionem in Angliæ Regno redintegrandi spe exciderent, Scotiæ Regis jus, quod in Angliæ diadema habebat, aggredi moliebantur, edito libro, quem sub Dolmani Presbyteri nomine Roberto Essexiæ Comite natione Anglo nuncupabant, eo quod hic per suppliciorum severitatem in Religionis negotio violentiam conscientius inferri nunquam approbasset, atque aliunde regia stirpe satus ad ipsum Regnum jus haberet. Ceterum hujus libri Auctor præsertim eo collimabat, ut demonstratum redderet, quod Rex Catholicus, ac præcipue Philippi II. Hispaniæ Regis Filia eligeretur, de qua in Franciæ Reginam nominanda jam actum fuisset: ut vero certum huic Principissæ jus assererent, eam a Constantia

Spond. num. 27. Cambden l. c.

Sæcul. XVI.
A.C 1594.

stantia Guilielmi Victoris Angliæ Regis
Filia, necnon ab Eleonora Henrici II.
Filia Alphonso IV. Castellæ Regi nupta
ortum trahere declarabant: verum hæc
genealogia haud sat firmis innitebatur
monumentis. Præterea adversus ipsam
Elisabetham Angliæ Reginam quædam
detegebantur conspirationes; si enim
quibusdam Angliæ Historicis fides
esset adhibenda, certum foret, quod
de trucidanda hac Regina conclusum
fuerit.

Quinimo hi Scriptores commin-
seuntur, quod Catholici decrevisent,
Hispanorum exercitum Angliæ Regno
admove, ac Reginam aut trucidare,
vel veneno inficere, ut rebus in An-
glia turbatis, & mortua Regina, eo fa-
cilius Hispanorum copiæ Regno potiri
valerent: ut autem hoc consilium juxta
fictas horum historicorum relationes
Hispani eo facilius effectui dare vale-
rent, Roderico Lopesio cuidam Judæo,
ac Reginæ Archiatro, necnon duobus
Lusitanis ad Elisabetham veneno extin-
quendam conductis quinquaginta au-
reorum millia pollicebantur: Ast hac
conspiratione detecta, tres hosce com-
plices fassos fuisse fertur, quod a Fon-
tana Comite, & Didaco Ibarra ad hor-
rendum hoc facinus auro sollicitati, ac
corrupti fuerint: nihilominus Lopesius
affir-

affirmasse dicitur, quod duntaxat ab Hispaniæ Rege pecunias extorquere intenderit, imò reipsa etiam ab eo quasdam gemmas receperit, quas tamen Reginæ dono dedisset: cum vero hanc conpirationem nullo inditio manifestarit, ideo unacum suis complicibus extremo supplicio sublatus refertur: ceterum omnes hæ accusationes sive veræ, sive falsæ fuerint, id pro comperto habetur, quod Scotiæ Rex harum obtentu fretus edictorum suorum nuper sancitorum severitatem contra Catholicos exequi non cessarit, omnesque illorum actiones sedulo explorari curaverit.

§. XII.

Alani vulgo Cardinalis Angliæ dicti obitus.

Cum interea Ecclesia Catholica in Angliæ Regno tanta sævitia vexaretur, Guilielmus Alanus validissimus veræ fidei Pugil Romæ extremum clausit diem. Erat is Lancestriæ ex nobilissima familia ortus, qui in Oxoniensi Universitate opera literis navata primo in Metropolitana Eboracensi Ecclesia Canonicus, & postea in Duacensi Academia non ita pridem a Philippo II. Hispaniæ Rege liberaliter erecta, Theologiæ Doctor renuntiabatur, ubi sacras

Ciacon. t. 4.
pag. 172.
Dupin.
Sæc. XVI.
par. 4.
pag. 547.
Attichy hist.
Card. t. 2.
pag. 557.

Lite

Sæcul. XVI. literas publice tradebat: porro dein
A.C 1594. in Angliam reversus, dum Elisabetha
 usurpato Angliæ solio Clericis præce-
 perat, ut eam velut Anglicanæ Ec-
 clesiæ Caput venerarentur. (*) Alanus
 tantæ impietati generoso animo sese op-
 posuit, edictorum tamen severitatem
 veritus, ultroneo exilio se mulctavit,
 relictaque patria alibi, ut inquebat
 ipse, potius in omnium rerum penuria,
 quam in patria sua rebus abundans cum
 Religionis suæ, ac conscientiæ dispen-
 dio degere voluit; unde Hispaniæ Re-
 gis patrocínio tutus Lovanium secessit,
 ubi unice curas suas eo intendit, ut
 populares suos in vera Religione firma-
 ret, ac hæreticorum fraudes eluderet:
 insuper aliorum liberalitatem stimula-
 bat, ut quoddam erigerent Seminarium,
 in quo juvenes natione Angli in pieta-
 tis exercitiis, & doctrinæ Orthodoxæ
 studio educarentur: progressu etiam
 temporis idem hoc Collegium Alum-
 norum frequentia celeberrimum pluri-
 mos magni nominis Viros produxit, qui
 nec carcerum metu, nec tormentorum
 sævitia unquam a veræ fidei constantia
 deflectentes effuso etiam cruore Reli-
 gionis Catholicæ veritates strenue pro-
 pugnabant.

Cete-

(*) Certe nullibi legitur, quod Christus
 caput mulieris in Ecclesiæ Caput designavit.

Sæcul.XVI.
A.C.1594.

Ceterum Alanus cum morbo corriperetur, ac ex Medicorum judicio ad recuperandam pristinam valetudinem nil nisi patrii aeris salubritas conducere videretur, hinc in Angliam rediit, ibidemque nullum non movit lapidem, ut Catholicos in tuenda fide orthodoxa corroboraret, illosque animaret, quatenus potius omnia mala oppeterent, quam ab ea deficerent, quam in rem quosdam ibidem libros dogmaticos contra Protestantes elucubravit, inter quos præcipue commendantur tres tractatus de Sacerdotio, indulgentiis, & de veritate infallibili fidei Catholicæ, præter tractatum de Purgatorio: porro his operibus tantopere irritabantur hæretici, ut eorum invidia rursus ex Anglia aufugere compelleretur, tum in Belgium secedens, ubi in Mechliniensi Monasterio Theologiam professus, postea a Philippo II. Abbatiam in Calabria præter pensionem annuam ex Panormitani Archiepiscopatus proventibus percipiendam obtinuit: cum vero rursus e Belgio excedere cogeretur, annuente Galliarum Rege Rhemos venit, ubi a Guisianæ Familiæ Principibus liberaliter exceptus, eorum ope aliud Seminarium erexit, ad quod plusquam ducenti adolescentes Angli ex Duacensi Collegio advenerant. Huic novo Seminario.

Hist. Eccles. Tom. LI.

Gg mina-

Sæcul. XVI. minario Alanus annos circiter quatuor-
A.C. 1594. decim præfuit, donec a Gregorio XIII.
 Romam accersitus Anglorum Semina-
 rium ibidem ab hoc Papa erectum di-
 rigere juberetur, unde altero jam itinere
 Romam proficiscebatur; prima enim vice
 unacum Joanne Van- Devilla jurispru-
 dentia in Universitate Duacensi Profes-
 sore eo advenerat, denique tertia vice
 Romam concessit, ut litem Jesuitas inter,
 & Alumnos Anglos ibidem exortam
 componeret, quod etiam feliciter præ-
 stitit.

*Sanderus
 elog. Card.
 dec. 4. elog. 5
 Pitseus ad
 ann. 1594.
 pag. 792. de
 Illustr. Angl.
 Script.*

Cum ergo Sixtus V. dignum meri-
 tis præmium conferre, & præclara
 tanti Viri obsequia Ecclesiae præstita
 compensare intentus esset, Anno Salu-
 tis nostræ millesimo quingentesimo octo-
 gesimo septimo Mense Augusto Alanum
 Romana Purpura decorabat, adjecto
 titulo sancti Martini in Montibus, quam-
 vis semper ab illo tempore vulgo An-
 gliæ Cardinalis appellaretur. Biennio
 post a Philippo II. ad Mechliniensem
 Archiepiscopatum nominatus, hujus
 Ecclesiae Sedem præsentia sua illustrare
 præpediebatur, eo quod Romanam ur-
 bem, ubi ejus opera in Patrum con-
 ventibus oppido necessaria erat, dese-
 rere a summo Pontifice non permitte-
 retur. Scripsit is Anglico idiomate plu-
 rimos tractatus, præter latinum de Ec-
 clesiae

clesiæ Sacramentis tractatum, qui a Sæcul. XVI.
A.C. 1594.
rationum soliditate, stylique elegantia plurimi habitus Antverpiæ Anno post Christum natum millesimo quingentesimo septuagesimo sexto typis prodiit: insuper in sacris Bibliis juxta vulgatam expurgatis, ac jussu Sixti V. editis, necnon a Clemente VIII. recognitis unacum Cardinale Columna, & docto Belarmino suam jungebat operam, simulque omnia sancti Augustini opera emendatius edere parabat: verum mortis invidia calamum excutiente ab utilis hujus operis executione præpediebatur; obiit enim die decima sexta Octobris hoc anno, ætatis vero suæ sexagesimo tertio. Corpus ejus Romæ in Anglicanæ Nationis Templo sepultum quiescit, ubi hodiedum sepulcralis ejus inscriptio legitur.

§. XIII.

Cardinalis de Quiroga mortuus.

Hoc item anno Madriti alius quidam Ciac. p. 68.
Vici. ibid.
Cardinalis naturæ debitum solvit.
Erat is Caspar de Quiroga ex illustri Hispaniæ familia in veteri Castella Abulenti Diæcesis ex Alvaresio Quiroga, & Helena Vela natus die duodecima Januarii anno Christi millesimo quingentesimo quarto: dein vero Vallisole-tani sanctæ Crucis Collegii, a Petro Gon-
zales

Gg 2

Sæcul. XVI
A.C. 1594

zales de Mendoza olim Cardinale instituti, fuit Alumnus: insuper operam legali sapientiæ dedit, ac tam juris scientia, quam animi dotibus clarus, Academiæ Complutensis Vicarius generalis evasit, quo officio cum fungeretur, atque ex incuria cujusdam diplomatis Apostolici sigillum frangeret, conscientia religionis ductus Romam contendit, ut ad Julii III. pedes provolutus existimatæ hujus culpæ absolutionem impetraret: ubi tamen ad Philippi II. preces Romæ Auditor, imo ejusdem Regis favore Toletanus Canonicus, & demum Consiliarius Regius nominabatur, atque in Hispania diu versatus arctissimum amicitia vinculum cum S. Ignatio Loyola Societatis Jesu institutore contraxit, cui Societati cum faveret, postea Tolunere, ac Toleti maximo sumptu successu temporis Collegia duo ædificavit. Porro cum sanctæ inquisitionis consilio præfuisset, Conchenis Episcopus primo, deinde licet invitus Toletanus Archiepiscopus, supremus Inquisitor, Italiæ Præses, Castellæ Cancellarius, ac absens Presbyter Cardinalis tituli S. Balbinæ Anno redemptionis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo octavo a Gregorio XIII. electus est: cum autem a suo Toletano Archiepiscopatu absens esse cogeretur, Albertum Cardinalem

dinalem Austriacum Coadjutorem habuit: demum vero die Dominica vigesima Novembris Madriti ferme in octogesimo primo ætatis suæ (*) anno animam Deo reddidit, multis aureorum millibus in pauperum levamen testamento relictis.

§. XIV.

Patris Bencii Jesuitæ extrema.

Inter ecclesiasticos Scriptores pariter nonnulli hunc annum sibi exitialem habebant, quos inter primo loco recensendus venit Franciscus Bencius Aculæ suæ familiæ oppido in Etruria natus, qui Romæ literis operam navans Marcum Antonium Muretum Magistrum habuit, eique arcta amicitiae necessitudine devinctus auctor exstitit, ut sacrae militiæ nomen daret, ac Sacerdotio initiaretur: porro postea ipsemet Bencius Societatis Institutum amplexatus Pauli nomine, quod Parentes indiderant, relicto, Franciscus appellari voluit,

Sæcul. XVI.
A.C. 1594.

Thu. l. 109.
Aleg. Bibl.
Script. Soc.
Baill. jugem
des Sçavents

Gg 3

(*) Hic typis error irrepisse deprehenditur; cum enim Continuator hunc Cardinalem anno Christi 1504. 2. Januarii natum, hoc autem anno 1594. mortuum refert, certe non anno octogesimo primo, sed saltem nonagesimo decessisse constat, hinc verius Ciaconius testatur, illum, cum jam nonagesimum attigerat annum, in cælum migrasse.

Sæcul. XVI.
A. C. 15

voluit, atque virtute, & eruditione eminens, æque apud Principes, quam literatos ob morum suavitatem, atque ingenuitatem magnum sibi nomen conciliavit, scripsitque varios libellos tam soluta, quam ligata oratione, ac præcipue quatuor volumina *annuarum literarum Societatis Jesu*, præter quoddam poema, cui titulus: *quinque Societatis Jesu Martyres in Indiis*. Reliquit etiam varios sermones, & carmina, ex quibus acris ingenii ejus præstantia elucet. insuper funebrem orationem habuit in exequiis Mureti olim sui Magistri: ipse vero Bencius Romæ anno ætatis suæ quinquagesimo secundo die sexta Maji ex hac vita migravit.

§. XV.

Gerardi Mercatoris decessus.

*Thu. l. 109.
Vol. Andre
in Bibl. Belg.
Melch.
Adam vit.
Germ. Philof. Posssev.
Bibl. select.
l. 2.*

Quamvis Gerardus Mercator Geographiæ scientiam antea valde neglectam novis suis, eruditisque inventionibus plurimum illustraverit, sibi que exin magnam laudem comparavit, nequaquam tamen in hac nostra Historia eidem locum vendicaremus, nisi editis quibusdam Theologicis operibus hunc honorem promeritus fuisset. Porro eruditus hic Vir Rupelmundæ in Belgio Gueldriæ Ducatus oppido natus Lovanii percurso studiorum curriculo jam ex primæ-

primævo naturæ beneficio ingentem ad Mathematicas disciplinas inclinationem in se experiebatur, quæ cum ætate semper crevit, hinc mappas geographicas elaborare aggrediebatur, non sine gravi labore, eoquod ejusmodi tabulæ hucusque a nemine adinventæ fuissent. Demum etiam postremis vitæ suæ annis Theologiæ operam navans, quædam opuscula tanquam hujus studii fructum collegerat, inter quæ præcipue numerari meretur Evangelistarum Harmonia, necnon tractatus de creatione, & constructione mundi: porro utrumque hunc librum scripsit idiomate latino, ex quibus tamen postremus tractatus proscribatur, eoquod ibidem octodecim propositiones circa peccatum originale cum Ecclesiæ fide pugnantes fuissent deprehensæ. Ceterum Mercator Duisburgi hoc anno, ætatis vero suæ octogesimo secundo die vigesima octava Novembris vitam cum morte commutavit

§. XVI.

Cornelii Bonaventuræ Bertrandi interitus.

Hoc item anno ex Protestantibus obiit Cornelius Bonaventura Bertrandus Thouartii nobilissimo Tremolliorum oppido in Pictonibus honesta Thorationum familia natus, qui Parisiis primas ope-

Gg 4 ras

Sæcul. XVI.
A. C. 1594

*Tha. l. 109.
Colom. Gall.
Orient. p. 73.
Baillet. l. c.*

Sæcul. XVI.
A. C. 94

ras studiis dicavit, sub Hadriano Turnebo, & Joanne Stracelio Magistris, ac dein sub Angelo Caninio Orientalium linguarum peritissimo Hebraicæ ad discendæ se impendit: porro inde Tolosam, & Divonam Cadurcorum profectus juris civilis scientiæ incubuit: postquam vero illo tempore in Calvinistas inquirere cæptum, Cornelius molestiam sibi inferri veritus Genevam secessit, ubi biennio post linguæ hebraicæ Professor renunciatus fuit, cujus muneris occasione usus sacræ linguæ thesaurum, quem Pagninus composuit, copiosa adnotationum accessione auctam rursus edidit: postea autem quandam Hebraicæ linguæ cum Arabica comparationem elucubravit præter succinctam, & methodicam dissertationem de Republica Hebræorum, quod postremum opus ceteris omnibus ejusdem lucubrationibus majoris habetur. Demum Cornelius relicta Geneva Franchentalam in Palatinatu secessit, ubi anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo sexto librum suum edidit, cui titulus: *Lucubrationes Franchentalenses*: postquam vero a Bernatam republica pro tradenda lingua Hebraica Lausanam evocatus fuerat, ibidem anno ætatis suæ sexagesimo tertio interiit.

Cete

Sæcul.XVI.

A.C.1594.

Ceterum inter sectæ suæ Viros præcipue ex eo commendatur, quod præ ceteris primus totum sacrum Codicem ex hebraico textu in Gallicum idioma transferre ausus fuerit; quippe Calvinus, & Olivetanus hujus linguæ ignariduntaxat ad veteres Interpretes, quibus cæca servitute nimium insistebant, recurrere cogebantur: Bertrandus vero utpote Grammaticus majori utebatur libertate, (*) ac ipsemet in suarum lucubrationum præfatione de hoc suo opere præclare differit: quinimo Calvinistæ hisce Bibliis hodiedum utuntur, quamvis in pluribus locis prorsus insulas Rabbiorum interpretationes veterum Interpretum explicationi præferre ausus fuisset: de cetero innumeros emendabat textus, qui in Olivetani, & Calvinii versionibus minus exacte ad literam redditæ reperiuntur: vicissim vero quosdam textus, qui in primis editionibus optime translati fuerant, ipse foede depravavit, præcipue

(*) Auctor libri, cui titulus: das gelehrte compendiöse Lexicon: verbo Bertram: hæc addit: er revidierte auch die französische version der Genfer-Bibel, wiewohl mit gar zu grosser Freyheit: hæc autem effrenis libertas progeminat variarum sectarum monstra.

Sæcul. XVI. A. C. 1594. cipue insistens Munsteri, & Tremelii versionibus. (*) Fatendum tamen, quod in Grammatica crisi, & conjecturis admodum felix fuerit, nimis tamen petulanter suo erga Religionem Catholicam odio a teneris indito indulserit.

§. XVII.

Sigismundi Poloniæ Regis conatus pro Religione Catholica in Sueciæ Regno restauranda.

*Spond. hoc
ann. n. 28.
Puffendorff
introd. a
l'hist. des
Princ. t. 2.*

Postquam Sigismundus Poloniæ Rex mortuo Joanne Patre suo Sueciæ Regnum hæreditario jure acquisierat, atque

(*) Nunc jam gloriantur Protestantes, quod eorum Parentes Lutherus & Calvinus ipsis reddiderint Bibliorum usum, quem Catholicis a Papa ereptum fuisse mentiantur: unde ergo se purum Verbum Dei habere jactitare possunt, dum tantum aliquam Bibliorum partem a suis Parentibus receperint, illis libris, quos hi suæ sectæ adversos credebant, rescissis, necnon textibus pro uniuscujusque arbitrio explicatis, & depravatis: hinc illos ex nova eorum reformatione haud aliud commodum recepisse videtur, nisi quod nunc integro, & puro Dei Verbo scripto destituti etiam sine Sacerdote, & Sacrificio, prout olim Deus populo Hebraico minitatus est, reperiantur.

atque anno priori ad capeffendam illius possessionem eo appulerat, primas eo curas intendebat, ut Religionem Catholicam in novo hoc regno suo restauraret: verum in irritum cecidere pia illius molimina; quippe nequidem a rebellibus subditis obtinere poterat, ut inaugurationis solemnia, prout optaverat, a Francisco Malaspina sancti Severini Episcopo, ac Nuntio Apostolico fierent; vix enim regni Ordines hoc regis propositum compererant, cum illico vehementer reclamantes peterent, ut antequam coronaretur, solemnijurejurando sese obstringeret, quod præter sectam Lutheranam juxta Confessionem Augustanam in Suecia nullam aliam Religionem tolerare vellet, atque ab Archiepiscopo Upsalensi sese coronari permetteret, ad quem utpote Regni Primatem ejusmodi honor ex Majorum instituto pertineret: porro eo tempore hanc dignitatem jam integro anno usurpaverat Abrahamus André secta Lutheranus, qui ad hoc munus assumptus fuerat, eoquod defuncto Regi Joanni Religionem Catholicam restituere molienti, semper adversatus, ideoque in exilium ab eo relegatus fuisset.

Ceterum cum multo tempore hæc altercatio duraret, Rex suadente ipso Pontificis Nuntio, necessitati cedere,

ac

Sæcul. XVI.
A.C. 1594.

Sæcul. XVI. ac Ordinum petitioni annuere cogebatur: igitur ab hoc eumentito Archiepiscopo die decima nona Februarii coronatus, postea Stockholmæ comitia celebrabat, in quibus de forma administrationis Regni per Regis absentiam leges constitutæ sunt, indeque Rex in Poloniam rediit.

§. XVIII.

Canonisatio sancti Hyacinthi ex Ordine Fratrum Dominicanorum.

*Bull. t. 2.
pag. 39.
Const. 17.
Bailet vie
des Saints
16. Aug. t. 2.*

Eodem tempore in Italia summus Pontifex die decima septima Aprilis Beatum Hyacinthum ex antiquissima Polonica Oldrovanskiorum familia ortum consueto ritu Sanctorum Catalogo inseruit. Hic ex Cracoviensi Canonico, vivente adhuc sancto Dominico Fratrum Prædicatorum Institutum amplexus, expleto Novitiatus anno in patriam revocabatur, ubi plura condidit monasteria, simulque per integros quadraginta annos, quos in sacro hoc Ordine transegerat, raræ Sanctitatis exercitiis vacavit, in oratione assiduus, ac semper annuntiando Dei Verbo, peccatoribus reconciliandis, visitandisque infirmis intentus. Obiit Anno Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo die decima quinta Augusti Beatæ Virgini in cælos assumptæ sacra, Clementis

mens tamen octavus festum illius diem Sæcul.XVI.
 decimo sexto Augusti postridie illius A.C.1594.
 diei, quo decessit, celebrari iussit, hanc
 in rem Constitutione die decimo septimo
 Maji edita.

§. XIX.

*Varie ejusdem Pontificis Clementis
 VIII. Constitutiones.*

Die octava Mensis prioris Martii idem Bull. tom. 3.
 summus Pontifex aliam edidit Con- Const. 26.
 stitutionem, qua stabilivit indulta, Et seq. p. 44.
 immunitates pro Mercatoribus etiam Heb-
 ræis, ad portum Civitatis Anconæ status
 ecclesiastici merces advehentibus, & aliis
 ibi mercaturæ causa domicilium consti-
 tuentibus; cum enim inter ejusmodi Mer-
 catores, & Papæ Ministros, aliosque
 identidem lites orirentur, Pontifex
 quosdam nominabat Consules, qui de
 ejusmodi controversiis cognoscerent,
 aliis vero Judicibus, ac Gubernatori
 severe interdicebat, ne quicquam ex
 advectis mercibus sibi attribuerent, imo
 nequidem emerent. Alia Constitutio-
 ne Papa die decima nona Junii utrius-
 que sexus Regularibus inhibuit, ne mu-
 nera elargiantur, aut recipiant, si quid
 communi nomine donetur, vel elee-
 mosynæ titulo acceptetur. Alia Con-
 stitutione die nona Septembris appro-
 batur *Archi-confraternitas B. Mariæ de Suf-
 fragio*

Sæcul. XVI.

A.C. 1594.

fragio nuper in urbe instituta, ad orandum pro liberatione animarum in purgatorio existentium. Præterea die octava Novembris alio diplomate Papa confirmabat statuta jam olim condita pro bono regimine Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, & pro electione Magistri Generalis ejusdem Ordinis. Die quarta Julii per aliam constitutionem decernitur institutio Festivitatis S. Stanislai Episcopi, & Martyris, pro die septima Mensis Maji, duplici officio celebrandæ.

Idem etiam sanciebat Pontifex edito diplomate die nona Julii circa sanctum Romualdum Ordinis Camaldulensis fundatorem, cujus festivitatem die septima Mensis Februarii ritu duplici celebrari præcepit. Denique die vigesima nona ejusdem Mensis Julii Papa alio diplomate præscribit, qualiter eligendi sint Superiores Fratrum tertii ordinis, quos pœnitentes vocant.

§. XX.

Continuata Jesuitarum causa post Joannis Castelli supplicium.

P. Jouvenc.
hist. Soc.
tom. 2. p. 5.

Interea lis contra Jesuitas mota, atque per Joannis Castelli parricidium innovata semper in Parisiensi Senatu agitabatur, atque eodem die, quo infelix ille homo extremum subibat supplicium,

cium, Doleus Advocatus, Doronus su-
 premus Curiae satelles, aliique plures
 a primo Præsidente delegati ad Claromon-
 tanum Collegium procedebant, cuncta-
 que scrinia sigillis suis muniebant: al-
 tera autem die trigesima ejusdem Men-
 sis Curiae Consilarii a Senatu nominati
 ad idem Collegium contendebant, at-
 que exactius cuncta cubicula, quæ non-
 dum erant lustrata, inspexerunt, ac
 quosdam juvenes, qui ibidem educa-
 bantur, interrogabant: postrema deni-
 que hujus anni die Jesuitis prælege-
 runt edictum, quo non modo e Parisina
 urbe, sed toto Regno exulare jussi sunt.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1595.

§. XXI.

*Gueretus, & Guinardus Jesuitæ
 tormentis subiecti, ac damnati.*

Ineunte anno Domini millesimo quin-
 gentesimo nonagesimo quinto Sena-
 tus Patres Jesuitas Gueretum, & Gui-
 nardum tormentis subicere statuebat:
 cum autem horum primus nihil fate-
 retur, nec ullus ipsum de hoc crimine
 accusaret, hinc Senatus eum non nisi
 exilio multabat: cum vero adversus
 Patrem Guinardum quædam scripta, in
 ipsius cubili reperta, producerentur, tan-
 quam læsæ Majestatis reus declaraba-
 tur, ac propterea ad extremum suppli-
 cium condemnatus est, die septima Ja-
 nuarii

Thu. l. III.
 Mem. de la
 Lig. t. 6.
 pag. 257.
 Hist. Soc. l. c.

Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

nuarii pronuntiata in eum mortis sententia, quæ eadem adhuc die executioni dabatur.

Hic Jesuita jamjam scalæ innixus cum magna animi sui tranquillitate palam hæc profitebatur: „nec ego, nec „mea Societas criminis a Castello „perpetrati ullo pacto particeps est, „niciofa autem scripta, quæ mihi im- „putantur, ipse quidem composui, „eo tamen tempore, quo Præfulum, „Doctorem, ac Religiosorum magna pietate insignium quamplurimi ejusmodi „scripta elucubrabant, imo etiam hæc „de re gloriabantur: de cetero Rex per „suam clementiam omnium præteritorum plenam indulget veniam: haud „ecquidem diffiteor, quod hosce libellos „non combufferim, id tamen tam ex „oblivione, quam socordia factum, nequaquam vero perverso ex fine. „ Verum insuperhabita hac declaratione Patris Guinardus juxta latam sententiam extremo afficiebatur supplicio.

§. XXII.

Alia sententia adversus Patrem Guiretum, & Joannis Castelli Parentes.

Mem. p. 259.
Argentre
coll. Ind.
pag. 526.

Tertio post Patris Guinardi supplicium die in Joannis Castelli Patrem, Matrem

trem, & ambas ejusdem sorores instru- Sæcul XVI.
A.C. 1599.
ctis judicii actis sententia ferebatur, comprehenso etiam Joanne Guere-
to Jesuita olim Castellii Professore. Hac sen-
tentia sancitum, ut præfatus Jesuita
perpetuo exilio e regno ejiciatur, Pe-
trus vero Castellus mercator sicarii
Pater per novem duntaxat annos extra
regnum, perpetuo autem ab urbe Pa-
risiensi, ejusque suburbiis exularet, utri-
que vero injungebatur, ut hanc proscrip-
tionem exequantur, indicta suspendii
pœna absque ulteriori judicii forma.
Eodem etiam edicto omnia, & singula
Guere-
ti bona Regis ærario adjudica-
bantur, Petrus vero Castellusolvere
jubebatur Regi pecuniariam bis mille
aureorum multam, quæ pro expun-
gendo ære alieno, & pane ad carcera-
torum sustentationem emendo impen-
deretur, ipse vero, donec præiatam
summam numeraverit, in carcere ma-
nere obstringebatur: porro illi, qui ob
eamdem causam in vincula coniecti e-
rant, quos inter Dionysia Hasarda Petri
Castellii conjux, pluresque alii nume-
rabantur, cum innocentes esse depre-
henderentur, e carcere dimissi libertati
restituebantur: insuper tamen statutum,
ut Petri Castellii domus everteretur, solo-
que æquaretur, ac locus urbi cedat,
quin unquam ibidem ædes ædificari
Hist. Eccles. Tom. LI. H h pos-

Sæcul. XVI
A.C. 1595.

possent: ut vero pernissus esset hujus attentati a Joanne Castello perpetrati memoria, in eodem loco, ubi olim præfata domus surrexerat, ex marmore statuam erigi mandabatur, unacum affixa tabula, in qua causâ significabatur, ob quam domus funditus everfa, & statua erecta fuerit. Data est hæc sententia die decima Januarii hoc anno.

§. XXIII.

Pater Hajus Jesuita pariter exilio multatus.

*Mem. de la
Lig. t. 6.
pag. 263.
Thu. l. III.*

Insuper seorsim in alium Jesuitam natione Scotum, nomine Alexandrum Hajum inquirebatur, eoquod insimularetur, ipsum publice docuisse, quod Regi duntaxat ad tempus sit obtemperandum, & quidem simulato obsequio, imo idem, cum magis incalesceret, etiam addidisse arguebatur, se tunc, cum contingeret Regem ædes ipsius pertransire, libenter e fenestris prono capite demissurum, ut vel cum vitæ periculo cervicem transeuntis Regis disrumperet. Igitur in eum judicii acta instruuntur, cumque compertum esset, quod præfatus Jesuita omnia hæc verba protulisset, priusquam Parisina urbs Regi tradita fuerat, ideo haud alia pœna, quam perpetuo exilio, multabatur, edita hanc in rem sententia eodem die decimo Januarii.

Sæcul. XVI.

A.C. 1595.

nuarii. Præterea in eodem decreto
 plura alia delicta Jesuitis objiciebantur,
 atque inter alia iis imputabatur, quod
 unus ex eorum Scholaribus nomine
 Franciscus Jacob in Bituricensi Colle-
 gio literis vacans se Regem occisurum,
 nisi illum jamjam trucidatum crederet,
 jactanter effutiisset, ac certo affirmas-
 set, eundem jam ab alio interfectum
 fuisse: insuper eisdem Patribus crimini
 datum, quod in Claromontano Col-
 legio plura themata, ac carmina con-
 tra Regis honorem dictassent, ac deni-
 que ex Jesuitis plures Patribus, ac
 Matribus suos filios abstraxerint, eos-
 que sollicitarint, ut ad ipsorum Colle-
 gia extra regnum studiorum causa pro-
 ficiscerentur: eapropter Joannes Belus,
 qui in Jesuitarum schola literis vacabat,
 ignominiosa culpæ confessione crimen
 luere jussus, demum exilio perpetuo
 mulctatus est, bonis ejus fisco addictis,
 eoquod Veronum cujusdam Procurato-
 ris Filium, ut extra regnum ad Jesui-
 tarum scholas contenderet, sollicitasset.

§. XXIV.

*Castelli ædes solo æquatæ, atque in
 ejus locum tyramis erecta.*

Paulopost Pariensis Curia sententiam
 effectui dari jussit, vi cujus Petri
 Castelli domus diruta, atque in ejus
 locum

Hh 2

locum

Sæcul. XVI.

A.C. 1595.

locum pyramis erecta fuit veluti monumentum, quod scelus contra Henrici IV. vitam attentatum identidem in posterorum memoriam revocaret. Hæc ipsa domus exstabat e regione majoris portæ Palatii in Parochia S. Petri ab Arcisiis: pyramis vero, quæ in ejusdem rudibus erecta fuerat, altitudine ad viginti pedes exurgebat, quatuor distincta lateribus, in quorum angulis quatuor virtutes Cardinales exhibebantur, in vertice autem crux aurea erat posita, subtus quam varice legebantur inscriptiones, & latina carmina, quæ tamen huc referre supervacaneum foret, eo quod passim in pluribus nostri ævi historicis reperiantur.

§. XXV.

Jesuitarum ex urbe discessus, Papaque judicium de ipsorum expulsionem.

*Lett. d'offat
t. I. lett. 15.
au Villeroy
pag. 371.*

Alterâ die, postquam Joannes Guinardus extremum subierat supplicium, octava Januarii Jesuitæ e Parisina urbe excefferunt, ac decimo quinto post die in Lotharingiam una omnes pervenerunt, exceptis eorum sex adhuc in carcere detentis, in quos pariter iudicium acta instruebantur. Verum Pontifex nuntio Romam allato non sine magno animi

animi sui mœrore ad Ossatum Cardina-
 lem hæc edixit: „Si inter Jesuitas qui-
 „dam hujus criminis rei fuere depre-
 „henfi, æquum est, ut castigentur: ini-
 „quum autem est, propterea totam So-
 „cietatem ob unius, alteriusve privati
 „culpam vexare.„ Præterea in alio collo-
 „quio ad eundem Ossatum his verbis
 „mentem suam Papa aperuit: „ summo-
 „pere mihi displicet sententia a Pari-
 „sienfi Senatu pronuntiata, nam ex ea
 „manifeste patet, quod sicarius ille ni-
 „hil factus sit, propter quod Jesuitæ hu-
 „jus criminis conscii haberi possent,
 „nihilominus hi Patres toto regno ex-
 „pelluntur, imo & sublæsiæ Majestatis
 „pœna omnibus Gallis interdicitur, ne
 „eorum scholas frequentent: speras-
 „sem equidem, quod Rex Senatus sui
 „severitatem moderaretur, atque hujus
 „sententiæ executionem differri jube-
 „ret, nam præter communia hujus So-
 „cietatis merita, necnon præclara ob-
 „sequia Ecclesiæ præstita Jesuitæ haud
 „parum contulerunt, ut Rex in Sedis
 „Apostolicæ gratiam rediret, hinc in-
 „gratum animum redolere videtur,
 „quod cuncta hujus Societatis membra
 „promiscue expellerentur.„ Verum hæ
 „Pontificis querelæ furdas pulsabant au-
 „res; lata enim sententia non modo ef-
 „fectui dabatur, sed aliæ etiam Curie

Sæc. XVI.

A.C. 1595.

Sæcul. XVI

A.C. 1595

ad Parisiensis exemplum Jesuitas ejusdem generis decretis exulare jubebant; soli autem Senatus Burdegalenses, Tolosani, & Turnonienses in Vivaresia ceteros hosce imitari recusabant.

§. XXVI.

Parochorum, & Parisiensium Theologorum Conventus.

Thu. l. III. Hæc cædes in posterioribus hisce annis adversus Henricum IV. attentata cum maxime inniteretur impiæ, ac erroneæ opinioni, qua quidam Doctores, ac Religiosi existimabant, quod tyrannos, & hæreticos occidere, licitum sit, nec permissum, preces ad Deum fundere pro Galliarum Rege, usque dum a sacra Sede censuris, & hæresi sua solutus esset, hinc Cardinalis Petrus Gondius Parisiensis Episcopus die decima sexta Januarii in Episcopali aula omnes Parochos, ac Parisiensis Facultatis Theologicæ Doctores una congregatos examinabat, quæ eorum mens esset circa preces publicas pro Regis salute fundendas, necnon circa ea, quæ Barrerius, Joannes Castellus, & Jacobus Clemens attentaverant: postmodum re divina de Spiritu sancto celebrata totus confessus hujus

Car-

Cardinalis propositionibus mature ponderatis sequenti decreto subscripsit.

Sæcul.XVI.
A.C.1594.

§. XXVII.

Horum sententia de obedientia Regi præstanda.

Hujus decreti tenor erat sequens:

„sacra Theologiæ Facultas a Reverendissimo Cardinali Gondio Parisiensi Episcopo in aula Episcopali decima sexta Januarii anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto congregata, Dominis Parochis pariter convocatis, ac ibidem præsentibus, ad deliberandum super capitibus a dicto illustrissimo Cardinali propositis, scilicet, super obedientia exhibenda Domino nostro Henrico IV. Regi, deinde orationibus pro ipso publice fundendis, necnon de consiliis, & conatibus contra ejus vitam sub prætextu Religionis Catholicæ, ac postremo de prædecessoris Henrici III. nece, præhabita matura deliberatione definivit, subditos debere scrupulos, ac dubitationes ex animis solvere de obedientia Henrico IV. nunc temporis regnanti exhibenda, & orationibus, tum publicis, tum privatis pro eodem fundendis, atque adeo rogandum prædictum Dominum Reverendissimum Cardina-

*Argentre
pag. 530.
Spond. hoc
ann. n. 1.*

Hh 4 „lem

S. cul. XVI
A. C. 1595.

„lem, ut tum totius Cleri sibi subditi,
 „tum etiam prædictæ Facultatis nomi-
 „ne a dicto Rege Henrico IV. (quod e-
 „tiam eadem Facultas ab eodem coram
 „supplex postulatura est;) impetrare
 „conetur, quatenus velit illud confi-
 „lium, quod dudum sancte proposuit,
 „de aliquo ad Sanctissimum Dominum
 „nostrum Papam delegando exequi,
 „quamprimum fieri poterit; id enim
 „dictæ Facultati videtur apprime ne-
 „cessarium reipsa præstare, ac ita evi-
 „denti schismatis periculo occurrere,
 „quo non potest non vergere in maxi-
 „mum scandalum, & damnum Eccle-
 „siæ Catholicæ, Apostolicæ, & Ro-
 „manæ, cujus iudicio, & auctoritati
 „eadem Facultas se, suaque semper sub-
 „mittit: porro quod ad alia attinet ca-
 „pita, illiciti, nefarii, ac detestabiles
 „sunt conatus, & consilia in vitam, &
 „salutem Domini Nostri Regis Henrici
 „IV. sub prætextu Religionis: immane
 „autem parricidium in personam Hen-
 „rici III. (cujus animæ Deus parcat)
 „admissum, tantum abest, ut eadem
 „Facultas approbaverit, vel approbet,
 „ut illud etiam vehementer, omnia-
 „que ejusmodi facinora censeat omnino
 „reprobanda, ac detestanda una cum
 „eorum auctoribus, consciis, & appro-
 „batoribus. „

„Hæc

„Hæc Conclusio definita est in aula
 „Reverendissimi Domini Cardinalis a
 „Gondio Episcopi Parisiensis, & con-
 „firmata in Congregatione ejusdem Fa-
 „cultatis habita in Collegio Sorbonæ
 „per juramentum post Missam de sancto
 „Spiritu die vigesimo primo supradicto-
 „rum Mensis, & anni.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1595.

Hæc Facultatis declaratio die vi-
 gesimo primo Januarii facta confirma-
 bat aliam ejusdem Facultatis declara-
 tionem, quæ die decima sexta ejus-
 dem Mensis edita in eodem conventu
 recitabatur, ac ferme iisdem verbis
 concepta erat. Ex his manifeste elu-
 cet, quod Facultas Fratris Florentii
 Jacobi ex Ordine Fratrum Eremitarum
 sancti Augustini doctrinam, quam in
 sua Majori, ut vocant, Thesi die de-
 cimo Maji de Pontificis potestate in tem-
 poralia Regum bona propugnabat, ra-
 tam non habuerit: eapropter Senatus
 quoque Parisiensis ob hanc Thesin suum
 fervorem exerere non destitit contra
 hunc Baccalaureum, & Magistrum
 Blanzuy ejus Præsidentem; insuper etiam
 Syndicus nomine Montheleon suo exue-
 batur officio, eidem subrogato Magistro
 Turnerochio.

H h 5 §. XXVIII.

Sæcul. XVI.

§. XXVIII.

A. C. 1595.

Parisiensis Senatus edictum adversus
hujus Augustiniani Thesin.

Argentré

pag 531.

Thu. l. II4

Ex hoc edicto cum sat clare appareat, (*) quod Parisiensis Senatus parum Ultramontanis opinionibus faveat, simulque Facultatem circa hanc Thesin vindicet, ideo haud inconsultum erit ipsa hujus edicti verba huc referre; quod his conceptum erat verbis: „Ex „Senatus jussu primarium centumviralis Senatus tribunal, necnon capitulum Prætorum Magistratus examina- „vit assertiones typis impressas, atque „a Florentio Jacob Ordinis Fratrum „Eremitarum sancti Augustini Theologiae Baccalaureo conscriptas, & sub „Thoma Blanzio Magistro, ac Theologiae Doctore, necnon Calviensis Collegii Rectore die decima Maji in Schola „Sor-

(*) Scilicet, quod mutata rei temporalis facie illico quorundam adulantium doctrina aliam faciem induere possit, cunctique suum Zelum adversus eos, quos antea deprædicaverunt, nunc autem ob doctrinae firmitatem temporum iniquitate non concussam constantes, sed oppressos cernunt, toto impetu exerant: italicum proverbium fert: agli cavalli magri vano tutte le mosché.

„Sorbonica publice defensas, ac pro-
 „pugnatas, quarum quintus articulus
 „ea, quæ sequuntur, continet: „ *Huic*
 „porro *Sedi Successor*, in qua sedet etiam
 „nunc *Clemens hujus nominis octavus*, om-
 „nium *Pontificum maximus*, & *supremus*,
 „qui cum in *terris vices Dei* gerat, ab eo-
 „dem esse *spiritualia*, & *temporalia* non est
 „ambigendum; *spiritualem enim*, & *tempo-*
 „*ralem in omnes* habet potestatem, eique uni-
 „*versi Cardinales*, *Episcopi*, & *omnes om-*
 „*nis generis homines parere*, & *obedire*, &
 „*veluti membra capiti adherere perpetuo te-*
 „*nentur*: porro nonus articulus erat se-
 „quens: *domus Ecclesiastica cum duplicis*
 „*gladii habeat potestatem*, *temporalis usum*
 „*ad bonorum defensionem*, & *malorum ex-*
 „*terminium Regibus*, & *Magistratibus con-*
 „*cedit*. „Hinc postquam præfatus Jacob,
 „& Blanzius in Palatii carceribus de-
 „tenti per quemdam Consiliarium ad
 „hoc Deputatum interrogati fuerant,
 „spectata relatione Regii Procuratoris
 „Generalis, necnon præfatis Jacob, &
 „Blanzio circa dictas propositiones in
 „eadem Curia auditis, & interrogatis,
 „pariterque audito Facultatis Theolo-
 „gicæ Syndico hanc in rem accersito,
 „ponderatisque omnibus, pronuntia-
 „mus, quod præfata Curia declararit,
 „& declaret quintum, & nonum harum
 „propositionum articulum esse falsum,
 „schis-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1595.

Sæcul. XVI. „schismaticum, Dei verbo, sacris de-
 A.C. 1595. „cretis, Canonicis Constitutionibus,
 „Regniq[ue] legibus adversum, nec-
 „non ad rebellionem, & quietis publicæ
 „perturbationem tendere: quapropter
 „eadem Curia, eoquod præfatus Jacob,
 „hæc theses imprimi curasset, easque
 „in schola Sorbonica defendendas su-
 „scipisset, præcipit, ut hic idem e car-
 „ceribus Palatinis eductus in majori
 „Scholæ Sorbonicæ aula fissatur, ibi-
 „que ad tintinnabuli pulsus convoca-
 „tis Decano, Syndico, Doctoribus Theo-
 „logis, & huic studio initiatis, in ge-
 „nua provolutus, capite nudo, Thoma
 „Blanzio præfente, & aperto capite,
 „dicat, ac declaret, temere, ac incon-
 „siderate hæc a se enuntiata proposuisse,
 „ac publicasse; insuper pœniteat teme-
 „ritatis, atque a Deo, a Rege, ac ju-
 „stitia veniam petat, quo facto enun-
 „tiata concerpantur, ac lacerentur:
 „insuper enixe prohibetur, ne deinceps
 „hujusmodi enuntiata, aut alia contra
 „regiam auctoritatem, & obedientiam,
 „quæ a subditis debetur, regni leges,
 „& Ecclesiæ Gallicanæ jura ab initia-
 „tis proponantur, aut publice disputen-
 „tur, adhæc Decano, Syndicoque, &
 „Theologiæ Doctoribus injungitur, ne
 „eas admittant, aut publicari patiantur,
 „alioqui in læsæ Majestatis pœnam in-
 „cur-

Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

„curfuri, & amiffione privilegiorum a
 „Regis decessoribus Theologico ordini
 „concessorum, atque ab ipso confirma-
 „torum multandi: insuper injungitur, ut
 „Senatusconsultum in acta Scholæ Sor-
 „bonicæ referatur, & ineunte quoque an-
 „no deinceps in primo conventu ab ap-
 „paritore Theologici Collegii recitetur,
 „qua de re Syndico, ut Senatum cer-
 „tiores faciat, mandatur. Tandem præ-
 „cipitur, ut ab uno ex sex Curia Præ-
 „sidentibus, & quatuor consiliariis coram
 „cognitore Regio, Senatusconsultum
 „executioni demandetur. Hæc gesta
 sunt feria quarta die decima nona Julii
 Anno Domini millesimo quingentesimo
 nonagesimo quinto.

Eadem die Senatus Deputati ad
 Aulam Sorbonicam convenere, ubi
 præfatum decretum præsentibus Do-
 ctoribus, & Baccalaureis ad id congre-
 gatis prælegebatur, ac Joannes (*)
 Guesleus Procurator Regius prolixam
 orationem declamabat, atque inter alia
 hæc proponebat: „facile sibi Sena-
 „tus persuasit non Facultatis, sed
 „paucorum, atque adeo unius Flo-
 „rentii Jacobi culpam fuisse; nam
 „neque illæ propositiones in Schola Sor-
 „bonica

(*) Thuanus hunc *Jacobum* fuisse nomi-
 natum ait.

Sæcul. XVI. „bonica publice agitatae fuere, ac proin
 A.C. 1595. „malo intra sua primordia mature ex-
 „tinctio, facile adducitur Senatus, ut
 „credat, Doctores probatae prudentiae
 „Viros minime passuros fuisse, ut ea
 „agitarentur, ideo æquum duxit, ut
 „ibi, unde culpa originem habuit, pœ-
 „na consistat, nam recoleantibus præci-
 „ævi memoriam occurrunt ubique in
 „annalibus nostris præclara Theologici
 „Collegii Parisiensis erga Reges cultus,
 „& obedientiae exempla, hæc enim fa-
 „cultas semper composita erat ex Viris
 „probitate, eruditione, & vitæ in-
 „tegritate conspicuis, qui turbatis re-
 „bus populos sincera verbi divini pro-
 „mulgatione ad obsequium Regi, &
 „Magistratibus debitum hortabantur,
 „necnon dignitatem, & auctoritatem
 „regii fastigii strenue propugnabant, &
 „constantibus animis, ac fide iis se op-
 „ponebant, qui jura Gallicanæ Eccle-
 „siæ oppugnabant: insuper cunctis con-
 „stat illorum constantia per veram Dei
 „præsentiam firmata, & procreata ex
 „ea Ludovici IX., qui postea in divo-
 „rum numerum relatus est, pragmatica
 „sanctio anno millesimo ducentesimo
 „sexcentesimo septimo in regno felicitet
 „promulgata. Pariter notæ sunt eo-
 „rum dein querelæ temporibus Caroli
 „VI. adversus eos, qui jura, ac liber-
 „tates

„tates Ecclesiæ Gallicanæ oppugnabant, **Sæcul. XVI.**
 „in Senatu institutæ, quæ caussas de- **A.C. 1595.**
 „derunt celebri, & ad omnem memo-
 „riam prædicando Senatus - consulto,
 „quod pronuntiatum est mense Septem-
 „bri anni Christi millesimi quadringen-
 „tesimi septimi eorum instigatu, & dili-
 „gentia, ac laudabili cura factum, ut
 „decreta Constantiensis, & Basileensis
 „Concilii servarentur, Ecclesiæ Galli-
 „canæ Concilio Avarici Biturigum in-
 „dicto sub Carolo VII, Rege, ex quo
 „Palladium illud Gallicum, seu Pragma-
 „tica Sanctio prodiit magno gentis no-
 „stræ decore, nec minore felicitate
 „semper ab initio culta, ac servata,
 „quousque postremo ei ambitione, &
 „avaritia Aulicorum magno Ecclesiæ
 „probrio, nec minore universi regni de-
 „trimento derogatum est.

§. XXIX.

*Pontifex in Regis favorem pro-
 pensus.*

Rex ut Facultatis Theologicæ Pari- **Avila l. 14.**
 siensis, necnon suorum subditorum **Lett.d' Ofsat**
 vota secundaret, ardentius, quam un- **tom. I. hoc**
 quam, sollicitabat, ut a sua hæresi, cen- **ann.**
 surisque per summum Pontificem sol-
 veretur, eapropter rursus eidem signi-
 ficari curabat, quod sincero animo fi-
 dem Catholicam amplexatus ad Missæ
 Sacri-

Secul. XVI.
A. C. 1595.

Sacrificium in omnibus locis, ubi abolitum erat, restaurandum omnem impenderet operam, simulque nulli labori parceret, ut bona ecclesiastica erepta ipsis restituerentur. Ad hæc Pontifex maximam animi sui lætitiâ testatus ab illo temporis momento se ad cuncta Regis vota maxime propensum exhibebat.

§. XXX.

Secreta monita Regi per Ossatum a Pontifice suggesta.

Avil. l. c.
Lettr. p. 327.

Eapropter Papa Ossato injungebat, ut Henrico Borbonio significaret, quod ad decidendum hoc negotium tuto alios Ministros Romam ablegare posset. Igitur Rex hujus causæ curam Jacobo Davidi Perronio commisit, dato negotio, ut junctis viribus cum Ossato concurreret, atque cuncta Regis utilitatem concernentia mutuo consilio procurarent.

§. XXXI.

Supplex libellus a Perronio, & Ossato Pontifici porrectus.

Thuan. &
Avil. l. c.
Lettr. 28.
D. Ossat.
t. I. Sect. 28.

Postquam Perronius die duodecima Julii Romam venerat, unacum Ossato sequentem libellum supplicem summo Pontifici porrigebat:

„Bea-

Beatissime Pater.

Sæcul. XVI.

A. C. 1595.

Lett. 29.

pag. 460.

Lett. 30.

pag. 462.

„Nos Jacobus David Perronius Regii
 „Senatus Consiliarius, ejusque supre-
 „mus Eleemosynarius, necnon Arnal-
 „dus Offatus Varrennæ in Rhodanensi
 „Diœcesi Decanus Regis Procuratores
 „ad id specialiter nominati nomine, &
 „auctoritate Henrici IV. Franciæ, ac
 „Navarræ Regis vestræ Sanctitati hu-
 „militer exponimus, hunc Regem Prin-
 „cipem nostrum, cum aliquot abhinc
 „annis aspirante Dei gratia de recon-
 „ciliatione cum Catholica Apostolica
 „Romana Ecclesia serio cogitaret, om-
 „nes rationes inivisse, quibus accedente
 „sanctæ Sedis auctoritate ad unionem
 „Ecclesiæ admitti posset: hinc ob id
 „ad Sixtum V. Henricus Franciscum
 „Lucemburgicum legabat, & postea ab
 „initio vestri Pontificatus cum octode-
 „cim mensium spatio de controversis in-
 „ter Catholicos, & hæreticos capiti-
 „bus per otium melius edoctus fuisset,
 „Cardinalem Gondium, & cum eo Pi-
 „sanii Marchionem Romam decrevit,
 „qui vestram Sanctitatem rogarent, ut
 „pro sua pietate, & auctoritate ratio-
 „nem præscriberet, quam in eo nego-
 „tio sequi deberet: cum vero vestra
 „Sanctitas eum sua gratia minime di-
 „gnum censuisset, ipse in continuis belli
 „periculis versatus, & a percussoribus,
 „qui

Hist. Ecclesiast. Tom. LI.

Li

„qui

Sæcul. XVI

A.C. 1595.

„qui quotidie vitæ ejus insidiantur, me-
 „rito sibi metuens, ut pio desiderio suo
 „satisfaceret, ad Episcopos Franciæ se
 „contulit: illi vero aliquot adhibitis
 „magni nominis Theologis, cum eum
 „abunde in Catholicæ, Apostolicæ, Ro-
 „manæ Ecclesiæ fide instructum judica-
 „rent, ritu, & modo in re tali usurpari
 „solitis supplicem ad errorum præteri-
 „torum ejectionem, & fidei suæ pro-
 „fessionem, quam inviolabilem se ser-
 „vaturum promisit, admiserunt, & per
 „unum ex Episcopis ex aliorum confi-
 „lio, coram ipsis, a censuris, & ex-
 „communicatione, quas ob errores
 „illos incurrerat, absolverunt, addita
 „ab iisdem Episcopis cautione, ut Rex
 „Oratores ad suam Sanctitatem mitte-
 „ret, qui rogarent, ut id, quod extre-
 „ma necessitate urgente factum esset,
 „ratum habere dignaretur. Rex, ut
 „sine mora Episcoporum decreto satis-
 „fieret, cum ipse ire non posset ad Pon-
 „tificem, quem pro supremo Ecclesiæ
 „pastore agnoscit, Nivernium Ducem
 „cum Cœnomanensi Episcopo, aliis-
 „que Præsulibus ablegavit, ut per eum
 „a vestra Sanctitate petitæ gratiæ be-
 „neficium impetraret: quamquam vero
 „non eam consolationem, quam spera-
 „verat, ex ea legatione ceperit, non
 „tamen de paterna bonitate vestræ San-
 „ctita-

Sæcul. XVI.
A.C 1595.

„ctitatis diffidere voluit, sed denuo per
 „nos ad pedes vestræ Sanctitatis pro-
 „stratos per viscera Domini Nostri Jesu
 „Christi supplicat, ut benedictionem
 „suam, & supremam a censuris, in quas
 „ob errores incurrit, absolutionem ad
 „majorem ipsius animi, & universi Re-
 „gni Francici securitatem, & tranquil-
 „litatem, necnon ad ejusdem cum sancta
 „Sede reconciliationem impertiri di-
 „gnetur, nos vero pro Rege spondemus,
 „ipsum sanctæ Sedis, & sanctæ Matris
 „Ecclesiæ mandatis ritu, & modo in
 „tali re usurpari solitis staturum: præ-
 „terea rogamus, ut Sanctitas vestra
 „ponderare velit, quod septennio ab-
 „hinc summa in Ecclesia Gallicana ob
 „complures vacantes Episcopatum,
 „Cœnobiorum, & Ecclesiarum Sedes
 „vastitas illata fuerit, ac Magistratus
 „in sacrum ordinem potestatem insoli-
 „tam quotidie usurpet, bonaque eccle-
 „siastica belli vi in profanos usus con-
 „vertantur, ac dissipentur, necnon om-
 „nis sacra disciplina corrumpatur, ac
 „tetrissima scissura cum certo tot ani-
 „marum exitio paulatim invehatur,
 „quarum rerum commiseratione, ut
 „tangatur Sanctitas vestra, rogamus,
 „quatenus per illam, quam suppliciter
 „petimus, absolutionem, ac Christia-
 „nissimæ coronæ cum sancta Sede re-

Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

„conciliationem tot malis in Ecclesia,
„& per totum Christianum orbem gra-
„fantibus finem imponere dignetur:
„enimvero tantæ calamitates non modo
„pium, ac clementem Patrem, Vica-
„rium Christi Domini, qui pretioso fan-
„guine suo gregem suum redemit, ad
„pietatem, & commiserationem com-
„movere debent, sed etiam omnes alios,
„in quibus vel minimus est Christianæ
„vitæ, vel humanitatis sensus, præci-
„pue cum adversus tot mala, tam-
„que manifestum Religionis Christianæ
„exitium, & tot animarum damnatio-
„nem nullum aliud superfit remedium,
„quam illa absolutio, a nobis petita,
„necnon Regis Christianissimi reconci-
„liatio cum Sede Apostolica, ex qua
„proxime profluit ipsa Beatitudinis ve-
„stræ auctoritas in hoc Regno stabi-
„lienda, ac legitimorum in Ecclesiis
„Præfulum nominatio, Sacerdotum, &
„Parochorum inauguratio, tot tumul-
„tuum finis, divini Officii restauratio,
„necnon Religionis, Ordinis, & di-
„sciplinæ ecclesiasticæ reparatio præ-
„ter tot animarum salutem: insuper
„præter splendoris, potentia, & glo-
„riæ augmentum, quod exinde Sedis
„Apostolicæ accrescit, Sanctitas vestra
„opportunitatem Principes Christianos ad
„unionem revocandi occasionem nan-
„ciscere

„ciscetur, simulque sublimissimum, ac Sæcul. XVI.
 „summpere salutare, tantoque Pon- A.C.1595.
 „tificæ dignum opus pro totius Chri-
 „stianæ Reipublicæ salute aggredietur,
 „poteritque omni tempore, omnique
 „occasione amplissima auxilia tam sa-
 „cra, quam profana, quo majora ab hoc
 „Christianissimo, addictissimoque Regno
 „vel unquam sacra Sedes recepit, sibi
 „polliceri., Hunc libellum supplicem
 summus Pontifex lubenti admodum
 animo excepit, utrique Procuratori
 respondens, se rem maturius ponde-
 raturum, ac postea illos accersiturum.

§. XXXII.

*Papa Regem absolvere firmiter
 statuens.*

Evoluto exiguo temporis spatio Pon-
 tifex hac super re cum Seraphino
 Rotæ Auditore conferens, illum urge-
 bat, ut mentem suam desuper aperi-
 ret: porro hic submissa libertate re-
 spondit: „Beatissime Pater, indulgeas
 „mihi, ut tibi in memoriam revocem,
 „quod Clemens VII. per nimium Ca-
 „rolo V. Imperatori complacendi stu-
 „dium Angliam amiserit: Clemens
 „vero octavus Franciæ Regnum perdet,
 „si Philippo II. complacere perget.,
 Enimvero Hispaniæ Rex continuo Pa-
 pam stimulabat, ne Franciæ Regis voto

*Avil. 8
 Thu l. c.
 Lettre 30
 D'Offat
 pag. 463.*

li 3 annue-

Sæcul. XVI. annueret. Pontifex percepto hoc Auditoris sui responso penitus expugnatus, Sueffiæ Duci Hispaniæ Legato hæc significari iussit: „Haud ultra afflictiæ Franciæ malis remedium asserre cunctari valet Pontifex, quapropter „firmo statuit animo, sacrum Purpuratorum Collegium convocare, & perceptis singulorum sententiis id, quod „bonum, & æquum videbitur, decernere.“

§, XXXIII.

Purpuratorum Senatus hanc in rem a Papa coactus.

*Thu. Avila
S. lett. l. c.*

Enimvero Pontificis promisso fidei constantia adfuit; quippe die secunda Mensis Augusti feria quarta Senatum habuit, cui omnes intererant Cardinales, exceptis Ignatio Avalo Arragonensi Cardinale, & Octavio Parravicino. Itaque in hoc confessu Clemens VIII. Papa articulatim enarrabat omnia, quæ hucusque ipse erga Franciam, ac Henricus IV. erga Pontificem, sedemque Apostolicam gessissent: hisce autem expositis Cardinales ita alloquebatur: „Tandem huic negotio finem imponere, necessarium videtur: quocirca vos rogo, hortorque, ut rem mature ponderare velitis, hinc sigillatim post aliquot dierum spatium cunctos

„ctos advocabo, ut cujuslibet sententiam desuper percipere, ac tandem rem decidere valeam.,, Postea perlectis Regis literis, ac præfato libello suppliciti tandem hic Senatus solvebatur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

§. XXXIV.

Preces publicæ hanc in rem Romæ a Papa decretæ.

Interim summus Pontifex solemnes supplicationes per universam urbem, necnon quadraginta horarum preces decernebat, ad implorandam in expediendo tantæ molis negotio Dei optimi Maximi gratiam: quinimo ipse Pontifex, ex ædibus Quirinalibus circa auroram exiguo stipatus comitatu nudis pedibus ad ædes S. Mariæ processit, & post longam orationem sacrum celebravit, & nudis, ut venerat, pedibus demisso capite neminem respiciens, flens, neque benedictionem occurrentibus impertiens, ad Palatium reversus est.

Thuan. 83
Avil. l. c.
lettr. 30.
pag. 470.

Postea rem Divinam ipse peregit, & bina adhuc vice scilicet die quinta Augusti, necnon decima quinta ejusdem Mensis die, quæ erat Beatæ Virgini in cælos assumptæ sacra, eodem ritu hisce supplicationibus interfuit.

Porro Feria secunda, seu septima ejusdem Mensis sigillatim Cardinalium

li 4 sen-

Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

sententias rogare cæperat, huicque negotio viginti tres omnino dies sacrabat: cum vero ex Cardinalium numero potissimi Regi absolutionem esse indulgentiam opinarentur, Papa rursus convocato Patrum Senatu declarabat, quod collectis omnium Purpuratorum sententiis eorum potissimi in eam abeant sententiam, quod Rex, ut in sinum Ecclesiæ recipi posset, ab Ecclesiæ censuris absolvendus esset, ac proin adjuvante Dei gratia cum ejusdem Procuratoribus agere vellet, ut eis ipse Regis nomine condiciones, & satisfaciendi modos injungeret, quos magis utiles, atque ad Ecclesiæ bonum, Deique cultum magis idoneos censebit. Equidem Marcus Antonius Columna Cardinalis quædam opponere parabat, verum Papa imposito mox silentio hæc reposuit: „abunde res discussa est, utpote ex potissimorum suffragiis decisa, proin haud „convenit, ut res jam composita, ac „semel rite conclusa rursus in controversiam vocetur.„ Hæc verba Pontifex voce animi firmitatem prodente pronuntians, Purpuratos valere iussit.

§. XXXV.

Conditiones utrique Regis Procuratori pro impetranda absolutione propositæ.

Rebus

Rebus ita dispositis cum Offato, & Sæcul. XVI.
 Perronio de absolutionis conceden- A. C. 1595.
 dæ conditionibus agebatur, erantque
 sequentes. I. Rex edictum pacifica- *Thuan. 63*
 tionis anno millesimo quingentesimo *Avil. l. c.*
 septuagesimo septimo datum revocet. II.
 Ad dignitates, & honores hæreticos non
 admittat, & quamprimum bello exter-
 no defunctus erit, curet, ut nulla alia
 præter Catholicam, Apostolicam, Ro-
 manam Religionem in Francia locum
 habeat. III. Idem ad servanda edicta, ac
 decreta in gratiam hæreticorum con-
 dita Catholicos non cogat. IV. A bello
 contra fœderatos, qui in armis adhuc
 sunt, desistat, eosque in gratiam ac-
 ceptos pristinis dignitatibus, & hono-
 ribus restituat, æquis conditionibus,
 de quibus Pontifex per Legatos suos
 cum Rege conveniet. V. Cum Rege
 Hispaniæ inducias pangat, quousque
 rationes pacis iniri possent, de quibus
 Pontifex pariter per suos Oratores cum
 utroque Rege aget. VI. Jesuitæ resti-
 tuantur. VII. Rex Benearni ecclesiis
 bona adempta restituat, aut compen-
 sationem det. VIII. Absolutio non
 Romæ a Pontifice, sed in Francia per
 legatum concedatur. IX. Ipse Rex
 denuo, & publice coram Legato suos
 errores ejuret, denuo consecretur, &
 insignia regni capiat, atque absolutio

Sæcul. XVI. Dionysiopoli a Præsulibus recepta omnino nulla declaretur. X. Ut habilis ad regnum reputetur, per Legatum, a censuris solvi efflagitet. Denique XI. Concilium Tridentinum in Francia recipi procuret.

§. XXXVI.

Hæ conditiones immutatae ob Offati, & Perronii oppositionem.

Thu. l. II3.

Offatus, & Perronius perceptis hæc conditionibus sese opponebant, hæc respondententes: (*) Reges Franciæ, quantum ad jurisdictionem spectat, nullum Superiorem agnoscunt, neque pati possunt Franci, ut Reges ipsorum ulli se tanquam Superiori submittant, hinc

(*) Cur autem ejusmodi responsum dederint, reticet Continuator, eam vero Thuanus his verbis explicat: *in arcano procuratoris viva voce, & pluribus ex locis tentati, an coronam ad pedes Pontificis deponere vellent, ac per illud signum, quasi regnum Francia in ejus manus consignare, quod ille se pro Rege gerens, quamvis a sancta Sede jure Successionis, & alio omni, quod in regno Francia sibi competere contendebat, privatus, contra divina jura, & humana occupasset, quam coronam post illam submissionem Pontifex in capite procuratorum mox reponeret.*

hinc longe decipiuntur illi, & in rerum Secul. XVI. A. C. 1595.
 nostrarum cognitione, regni usibus, ac
 legibus toto cælo aberrant, qui aliam
 hac in re opinionem fovent. Postea
 plures hanc in rem habebantur consul-
 tationes, in quibus conditiones propo-
 sitæ in pluribus fuerunt temperatæ, ac
 tandem post multa responsa, & oppo-
 sitiones ultro, citroque propositas To-
 letus Cardinalis tanta dexteritate con-
 tendentium animos conciliabat, ut in
 hæc conditiones conventum esset.

§. XXXVII.

*Sub quibus conditionibus absolutio
 Regi indulta?*

I. Perronius, & Ossatus Regis Procu- Thu. 63
 ratores Sacramentum usitatum Avil. l. c.
 dicant, spondentes, Regem sanctæ Sedi, Spond. n. 93
 & Ecclesiæ mandatis pariturum. II.
 hi Regis nomine coram Pontifice Cal-
 vinismum, & omnes alias hæreses eje-
 rent, & fidei professionem edant. III.
 Rex in Benearni principatu Religionem
 Catholicam restituat, & Episcopos Ca-
 tholicos in eo nominet, & quousque
 antiqua bona eis restituantur, duobus
 Episcopis, quantum sat erit, ut se pro
 dignitate sustentent, de suis bonis lar-
 giatur. IV. Intra annum juvenem
 Principem Condæum e manibus hære-
 ticorum recipiat, & in manus Catho-
 licorum

Sæcul. XVI. licorum tradat, ut in Religione Catho-
A C. 1595. lica, & Christiana pietate alatur, ac
 instituatur, cum timendum sit, ne Rege
 decedente, cum prole mascula ca-
 reat, ac quotidie belli periculis ex-
 positus sit, regnum majoribus tumult-
 ibus implicetur, cum regni hæ-
 res adhuc puer hæreticorum po-
 testati relictus sit. V. Pacta tam in
 Sacerdotiorum inauguratione, quam in
 aliis rebus cum summo Pontifice inita
 integre serventur. VI. Rex Concilium
 Tridentinum omnino publicandum, &
 servandum curet, nisi in iis, quæ citra
 tranquillitatis publicæ perturbationem
 executioni demandari non poterunt, &
 siquæ alia hujusmodi reperientur. VII.
 Rex nullos hæreticos, aut de hæresi
 suspectos ad Episcopatus, Cœnobia,
 aliaque Sacerdotia nominet. VIII.
 Præcipuo loco habeat, & in patrocinium
 recipiat Ecclesiasticos, neque eos a viris
 armatis, aliisque vexari, aut opprimi, vel
 bona eorum retineri patiatur: si quæ vero
 occupata fuerint, ea protinus, ac sine
 causæ cognitione, ubicunque in regno
 sita sint, restitui curet. IX. Si quæ
 bona, aut ditionis ecclesiasticæ arces
 beneficii profani titulo cuiquam sive
 Catholico, sive hæretico concessæ sint,
 gratia facta revocetur. X. Rex factis
 dictoque in dispensandis præcipue
 hono-

honoribus, ac dignitatibus ostendat, **Sæcul. XVI.**
 præcipuo sibi loco esse Catholicos, ut **A.C.1595.**
 cuncti intelligant, eum velle, ac optare,
 quatenus unica Religio, eaque Catholica,
 Apostolica, Romana, quam profitetur,
 in ejus regno efflorescat. XI. Nisi le-
 gitimo impedimento prohibeatur, quo-
 tidie coronam B. Virginis, & singulis
 feriis quartis Lytanas, feria autem
 sexta Rosarium B. Virginis recitet,
 quam pro patrona sua in cælis accipiet:
 ad hæc jejunia ab Ecclesia indicta servet:
 insuper quotidie sacrum audiat, Domi-
 nicis quoque, & Festis diebus, solem-
 nibus Missarum sacris intersit. XII.
 In singulis regni Provinciis, & in Be-
 nearni principatu Monasterium virorum,
 aut foeminarum, mendicantium, aut
 Reformatorum ædificet. XIII. Saltem
 quater in anno peccata confiteatur, &
 Eucharistiam sumat. XIV. Ratam ha-
 beat in Francia coram Legato, aut alio,
 qui mittetur, ejectionem, & Fidei pro-
 fessionem, aliaque a Procuratoribus pro-
 missa, & rati habitionis instrumentum
 Pontifici transmittat. XV. Ad Prin-
 cipes Catholicos scribat, & gratuletur,
 quod in gratiam Ecclesiæ Romanæ re-
 ceptus sit, in qua deinceps semper se
 usque ad mortem perseveraturum osten-
 dat. XVI. Mandet, ut per omne re-
 gnum

Sæcul. XVI. gnium pro tanto suæ conversionis beneficio gratiæ solemnes Deo reddantur.
 A.C. 595.

§. XXXVIII.

Absolutionis solemnitas Romæ facta.

*Lettr. du
 Card Per-
 ron. p. I.
 Ciacon. t. 4
 pag. 254.*

Stabilitis hisce pactis, dies decima septima Septembris concedendæ Regi absolutioni præfigebatur, quæ etiam cum ingenti solemnitate peragebatur; quippe in foro Basilicæ sancti Petri, cuius portæ erant occlusæ, suggestus erigebatur, præparato ibidem præalto folio, quod Pontifex conscenderat assistentibus cunctis Cardinalibus tum Romæ agentibus, Episcoporum quamplurimis, Romanæ Curix Ministris, Divi Petri Pœnitentiariis, rituum Magistris, ac innumera aliorum multitudine, huic tamen solemnitati non intererant Cardinales Arragonius, Alexandrinus, & Marcus Antonius Columna: porro reliquis cunctis confidentibus Ossatus, & Perronius in medium procedentes, ac in genua provoluti debito obsequio summi Pontificis manum deosculabantur, nec non libellum supplicem Regis nomine porrigebant, rogantes, ut eidem Regi concederetur absolutio a censuris, a quibus per quemdam Franciæ Præselem consentientibus, & approbantibus pluribus aliis jam in Galliis fuisset solutus. His prælectis mandatæ sibi

facul-

facultatis diplomata exhibebant, mox ^{Sæcul. XVI.} autem quidam sacræ Inquisitionis Af- ^{A.C.1595.} fessor decretum summi Pontificis reci-
tabat, quo Rex ab omnibus censuris, quovis pacto incurfis, necnon ab omnibus sententiis in eum latis absolutus declarabatur, cum jam antea per suos Procuratores cunctas hæreses ejurasset, ac interposita juramenti Religione pollicitus esset, quod sese Sedi Apostolicæ subijcere, atque Ecclesiæ legibus obtemperare vellet: porro id ambo Procuratores contactis sacrosanctis Evangeliiis promittebant: postea vero fidei professionem scripto consignabant, in qua rursus Regis nomine spondebant, quod Rex summo Pontifici obedientiam ea forma, qua Christianissimi Reges ejus Prædecessores eam præstitissent, deferre, ac Religionem Catholicam fide nunquam violanda servare velit.

Absolutis præviis hisce solemnitatibus conditiones, quæ per modum satisfactionis Regi a Papa fuerant impositæ, recitabantur, quas Procuratores non modo acceptabant, sed eas etiam exacte exequendas spondebant, ac demum rursus in genua provoluti virgula leviter in humeris percutiebantur, ad imitationem illius virgulæ, quæ a Romanis *vindicta* appellabatur, ac tunc ab iisdem adhibebatur, dum sua mancipia

*Thm. l. 113.
versus finem.*

Sæcul XVI. A.C. 1595. cipia manu mittebant. Hic ritus in Pontificali Romano præscribitur, ut significaretur, quod pariter illi, qui per censuras, suaque scelera peccati mancipia, ac servi erant, Christianæ libertati restituantur: toto autem illo tempore, quo hic ritus fiebat, Psalmus quinquagesimus, qui incipit: *Miserere* decantabatur, quo absoluto Pontifex de folio surgens, ac in pedes erectus solemnes preces itidem in Pontificali præscriptas dicebat, rursus vero in suo throno confidens, elata voce pro more Judicis sententiam pronuntiantis declarabat, quod auctoritate Omnipotentis Dei, & BB. Apostolorum Petri, & Pauli, & sua Henricum Borbonium Franciæ Regem a vinculo excommunicationis, qua ex causa hæresis ligatus erat, absolvat.

Hac absolute coram utroque Procuratore a Pontifice pronuntiata tunc primum Divi Petri Ecclesia, quæ durante hac solemnitate clausa erat, aperiebatur, ac Pontifex ambos hinc Regis Procuratores hisce verbis alloquebatur: „Nuntiate Henrico Regi, Principi vestro, quod ego nunc ei portas Ecclesiæ militantis super terram aperuerim, jam vero ipsius sit, quatenus se per vivam fidem, & pietatis opera dignum reddat, ut aliquando etiam „Eccle-

„Ecclesiam triumphantem in cælis in-
gredi promereatur.„ His dictis Pro-
curatores in Ecclesiam introducebantur,
huicque solemnitati finis impositus fuit
decantato Hymno Ambrosiano.

Sæcul. XVI.
A. C. 1595.

§. XXXIX.

*Publica Romæ latitia ob Regis
absolutionem.*

Vix Pontifex postrema absolutionis
verba pronuntiaverat, cum illico
tubæ resonarent, reboantibus ex sancti
Angeli arce omnibus belli tormentis;
insuper festivæ audiebantur populi accla-
mationes, pluriumque ædium foribus
Franciæ insignia affigebantur: imo vix
non omnes, etiam pauperes, hujus Re-
gis effigiem coemebant; prius enim
jam plures ejusmodi imagines æri in-
cidebantur, ut postea in vulgus spargi
possent: præterea summus Pontifex
numismata cudi curabat, in quibus ex
una parte Clemens, altera vero ex
parte Henricus IV. effigiatus e hibeba-
tur: porro postquam Joyosa Cardina-
lis ex sancti Petri Basilica exierat, Of-
fatum, & Perronium Procuratores
suum currum conscendere rogans illos
ad Nationis Gallicæ Ecclesiam sancti
Ludovici conduxit, ubi rursus decan-
tato S. Ambrosii Hymno Guilielmus

Ths. I. II3.
Lettr.
d'Offat t. I.
lett. 33.

Hist. Eccles. Tom. LI. Kk Avan-

Sæcul. XVI. Avansonius Ebrodunensis Archiepiscopus sacrum solemne celebrabat: eadem **A. C. 1595.** autem die ad vesperam Scarfius de Giury Lexoviensis Episcopus eodem officio fungebatur in sanctæ Trinitatis Templo, in Mone-Pontio, ubi Fratres Minimi degunt: adhæc altera die ambo hi Præfules in præfatis duabus Ecclesiis solemni ritu rem divinam peragebant: die vero Dominica vigesima quarta Septembris, quæ post indultam absolutio- nem erat octava, ambo Procuratores sacro a summo Pontifice celebrato intererant, ibidemque ab eodem sacra Synaxi unacum pluribus aliis Nobilibus eos comitantibus reficiebantur.

§. XL.

*Senatusconsultum contra Surgerii
Doctõris sermonem.*

Thu. l. II4. Cum hæc interea Romæ gererentur, Parisiensis Senatus nil eorum prætermiserat, quæ ad conservandam pacem, & reprimendos seditiosos conferre arbitrabatur, eapropter, sicut jam ante retulimus, cujusdam Religiosissime Florentii Jacob theses Mense Julio damnaverat, insuper die decima tertia Septembris Zelum suum exerebat, dum Franciscus Surgerius in sanctæ Crucis coenobio vitam monasticam Lutetia professus, ac Theologus ad Senatum dela-

Sæcul. XVI.
A.C.1595.

delatus fuit, quod idem, dum in sancti Mederici Ecclesia concionem ad populum haberet, pleraque factionem redolentia seditiose dixisset, Elisabetham Anglorum Reginam Jezabellem subinde appellans & sectarios dicens eos, qui fœderationem, & amicitiam cum ea colerent: igitur in carcerem conjectus, & rei convictus postulante Cognitore regio verba temere, & inconsiderate prolata nudo capite genuflexus ignominiose recantare, & veniam a Deo, Rege, ac Curia ob id petere jussus est, inluper concionandi munere interdïctus, quousque aliter a Senatu decretum esset: præterea disertim etiam pœna capitis, si in Regem committeret, addita, ipsi injunctum, ne de Principibus Regi amicis, ac fœderatis maledicos, aut injuriosos sermones sereret, quidquamve diceret, quod tranquillitatem publicam turbaret, aut ad seditionem spectaret. Ceterum hæc res in criminalium caussarum tribunali clausis ostiis peracta fuit, idque professionis dignitati, & Patris memoriæ datum, nam hic juris civilis elementa olim Lutetiæ tradiderat, & gratiam a multis ex iis, qui in causa sedebant, & ei operam navaverant, eo nomine emeruerat.

Kk 2

§. XLI.

Sæcul XVI.

§. XLI.

A. C. 1595.

Duo Rutheni Episcopi Romam delati summo Pontifici obsequium præstituri.

Lett. D'of. sat. t. 1. &

2. p. 511.

pag. 11.

Chron. de

Pias. ann.

1595. Ciac.

t. 4. p. 253.

Infuper lætitia, quam Pontifex, atque universa Urbs Romana ob Franciæ Regis absolutionem conceperat, non parum augebatur adventu Hippatii Pociey Volodimiræ, & Cyrilli Terlecki Lueskiensis, qui ambo Rutheni ritus Episcopi, nomine sui Cleri illis Provinciis subditi Romam supplicatum venerant, ut Ecclesiæ Romanæ, a qua quingentis abhinc annis segregati, Ecclesiæ Græcæ schisma profitebantur, rursus unirentur. Porro hi duo Episcopi circa omnia capita convenerant cum illis, quos Papa nominabat, ut cum eis conferrent, quocirca abjuratis erroribus suis fidei Professionem juxta Ecclesiæ Romanæ articulos die vigesima tertia Decembris præsentibus summo Pontifice, & Cardinalibus emittebant. Enimvero Rex Poloniæ ad eorum conversionem haud parum conferebat: ast hi Episcopi in patriam suam reversi Clerum suum magis, quam unquam, a sacrae Sedis obsequio alienum experiebantur, quinimo Ostowskius Kioviensis Palatinus, omnesque Russiæ Proceres ad Cleri exemplum hanc unionem

nem rejecerunt, hoc usi obtentu, quod ea absque eorum consensu conciliata fuisset: unde sicut antea in suo schismate perseverarunt.

Sæcul. XVI.
A C 1595.

§. XLII.

Cophti rursus Romanæ Ecclesiæ aggregati.

Ineunte eodem hoc anno Gabriel Ecclesiæ Alexandrinæ, seu Cophtorum, qui Christiani Jacobitæ, seu Ægypti Monophysitæ appellantur, Patriarcha ab Ambrosio Auria in Mauritania Episcopo, & Hieronymo Vecchieto Sacerdote sollicitatus pariter ad Clementem VIII. Papam suos Oratores ablegabat, ut hi Ægyptiorum, & Æthiopum nomine Ecclesiæ Romanæ Primatum profiterentur. Hi ergo Legati ad Pontificis alloquium admissi, ejusque pedibus provoluti veræ fidei professionem emittebant, abjuratisque Græcorum erroribus circa processionem Spiritus sancti, agnitisque septem Sacramentis Concilium Nicænum I. Constantinopolitanum I. Ephesinum itidem primum, & Calcedonense, necnon Constantinopolitanum II. agnoscebant, rejecta Synodo secunda, seu potius Conciliabulo Ephesino, in quo post Flaviani Constantinopolitani Episcopi mortem Dioscori Alexandrini Patriarchæ factio tanta pol-

Thu. l. II4.
Leo Allatus
de perp.
conf. lib. 3.
c. 8. Spond.
num. 14.

K k 3

lebat

Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

lebat auctoritate, ut Eutichetis hæresis confirmaretur: insuper hi Legati tertio Concilio Constantinopolitano, necnon Nicæno II. ac Florentino, imo etiam Concilio Tridentino subscribebant, seque penitus Romani Episcopi, tanquam Universalis Ecclesiæ Capitis, Christi Domini Vicarii, Apostolorum Successoris *JURISDICTIONI*, (*) ac censuris subjiciebant, professi, quod ejusdem auctoritas sese in Univerſum Orbem extendat.

§. XLIII.

*Altercatio inter Protestantes circa
mediationem Christi Domini.*

Thu. l. II. Hæc cum interea agerentur, Grifonum, & Vallis Telinæ Ministri celebrem refucitabant disputationem, quæ jam olim circa Mediationem Christi Domini agitabatur, ubi in dubium vocabatur, an Homo-Deus consideratus ut talis, apud divinum Patrem suum non fuerit mediator noster, nisi post suam incarnationem, anve verbum verbi ab omni æternitate genitum jam ab origine Mundi suam mediationem impenderit pro Angelis, & hominibus ob eorum creationem, conservationem, & salutem: insuper disputationi subjiciebatur, utrum hic idem Deus factus homo,

(*) Non solum primatui honoris.

homo, postquam in sinu Virginis jam fuit incarnatus, adhuc haberi debeat pro nostro Mediatore, protectore, & Ecclesiae militantis capite, ita, ut ejus mediatio usque ad finem saeculorum continuetur. Intererant duodecim Deputati hanc in rem specialiter nominati, & quidem sex una ex parte, & totidem ex altera, qui die decima tertia Octobris Tiranii congregati, nihil tamen decidere poterant, (*) eapropter die tertia Martii anno sequenti rursus disputationibus initium dabatur, quini- mo etiam die trigesima Septembris jam tertia vice conventus cogebatur, sed absque successu magis prospero: quo- circa omnino haec consultatio dissolve- batur. Nihilominus quidam Grisonum, seu Rhætiorum Minister nomine Nico- laus Rusca hujus conciliabuli acta divul- gans, ea typis imprimi curabat: ast illi, qui sententiae contrariae adhære- bant, quantocius prolixa admodum dissertatione responderunt.

§. XLIV.

(*) Cur autem hi Ministelli sibi invicem non acclamabant: Scrutemini Scripturas, consulite vestrum privatum Spiritum, nam hi sunt infallibiles Judices nostri: quid nobis de Conciliis, & traditionibus?

K k 4

Saecul. XVI.
A. C. 1595.

Sæcul. XVI.
A. C. 1595.

§. XLIV.

*Evangelicorum Synodus Torunii
celebrata.*

*Thu. l. 114.
Spond. n. 25.
Cythraeus in
Sax.*

Pariter in Polonia circiter quadraginta Ministri, qui se Evangelicos appellitant, exeunte Mense Augusto Torunii in Prussia conventum agebant, cui etiam præter duos Poloniæ Palatinos Miniekensem, & Leczickiensem etiam Vilnensis, Polotiensis, & Rawitfensis urbium Delegati interveniant; insuper suos Oratores Comes Ostrorogius, Kioviensis Palatinus, Volkyniæ, Russiæ, & Podoliæ Senatus, pluresque alii Lithuanizæ Proceres eo ablegabant. Præcipuus hujus Synodi scopus eo collimabat, ut doctrina in Sandomirensi Concilio stabilita, necnon conscientizæ libertas facta conservaretur: cum autem Sigismundus III. Poloniæ Rex ejusmodi conventicula celebrare prohibuisset, nunc quoque Leczickii Palatinum, ut hunc quoque conventum præpediret, eo decernebat: verum Evangelici vilipensa Regis sui auctoritate hanc Synodum esse celebrandam pertinaciter insistebant, causati, quod nec in Regem, nec in Regnum conspirandi animo convenissent, sed unice suas querelas exponere, easque scripto Regiæ suæ Majestati tradere vel-

vellent: de cetero afferebant, quod ^{Sæcul. XVI.} ipsi jure ex urbe expelli non possent, AC 1595.
 eo præcipue tempore, quo Judæis, aliisque apertis Christianæ Religionis hostibus aditus permittitur: nihilominus Cujaviæ Episcopus pariter hoc Conciliabulum dissolvi postulabat, ea potissimum ex ratione, quod Toruniensis civitas intra suam Diæcesin esset, & proin absque ipsius consensu, ac venia nullum ibi Concilium habere liceret: verum ipsius rationes æque, ac Regis jussa ab hisce hæreticis flocci pendebantur, Evangelicis semper vociferantibus, quod pro Ecclesiarum suarum rebus conventus habere, ipsis licitum esset.

Præprimis ergo hi in sua Synodo Confessionem Augustanam juxta tenorem, quo illam in Concilio Tridentino exhibere voluerant, anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo elaboratam confirmabant, omnesque unanimi consensu huic confessioni adhærendum statuebant: insuper querelas, quæ ad hanc Synodum delatæ erant, examinabant, erant autem sequentes. I. Tempia ad confessionis Augustanæ Socios pertinentia Cracoviæ, Posnanix, ac Vilmæ ab adversariis everta fuere. II. Conditorum cadavera sepulcris immaniter eruta.

Kk 5

III. Pos-

Sæcul. XVI. III. Posnaniæ templum vi facta captum,
A C. 1595. ac dirutum. IV. Jesuitæ ex Gallia
 profugi plebanos suæ doctrinæ addictos
 in pagis passim instituunt, ut diæce-
 sanos Procerum Evangelicorum subdi-
 tos in dominorum perniciem promissa
 impunitate concitent: porro cum hujus
 Conventiculi Præcones sibi hasce que-
 relas dijudicandi jus haud competere
 crederent, ipsisque remedium oppo-
 nendi vires deesse scirent, hinc id Regi
 esse significandum decernebant, hujus-
 que rei provinciam Ostrorogio Comiti
 commitebant, dato etiam eidem ne-
 gotio, ut Joannem Sarium Samosum
 regni Cancellarium adiret, & quam-
 vis Catholicæ Religioni addictissimus,
 & hæreticorum hostis in Religionis
 causa ab ipsis dissideret, eum tamen
 pro charitate, qua patriæ tranquillita-
 tem prosequitur, ad pacem tuendam
 hortaretur, ut conjunctis animis, &
 viribus contra communem Christiani
 nominis hostem arma facilius verteren-
 tur. Verum Rege nihil desuper de-
 cernente res ad comitia anno sequenti
 celebranda remittebatur.

§. XLV.

*Variae Clementis VIII. Papæ Con-
 stitutiones.*

Hoc

Hoc item anno Clemens VIII. quas-
dam edidit Constitutiones, qua-
rum prima die trigesima prima Augusti
promulgata doctrinam circa quosdam
Græcorum ritus complectitur, præci-
pue ad institutionem latinorum Præsu-
lum, in quorum Diæcesibus Græci
juxta suos ritus degunt: porro hæc in-
stitutio respicit Sacramentorum admi-
nistrationem, & quosdam disciplinæ
articulos, & quidem circa Sacramen-
tum Baptismi præcipit summus Ponti-
fex, ut Presbyteri Græci Baptizatos
chrismate in fronte non consignent, at-
que ideo quædam omittant verba, quæ
in eorum Euchologio præscribuntur,
atque hujus unctionis formam signifi-
cant. Postea statuitur, „I. ut Episcopi
„Latini, infantes, seu alios Baptizatos
„a Presbyteris Græcis de facto chris-
„mate in fronte consignatos confirment,
„& tutius videtur, ut cum cautela, &
„sub conditione id faciant, videlicet N.
„si es confirmatus, ego te non confir-
„mo, sed si non es confirmatus, ego
„consigno te signo Crucis, † & con-
„firmo te chrismate Salutis † in No-
„mine Patris, & Filii, & Spiritus sancti;
„præsertim vero cum verisimiliter dubi-
„tari potest, an ab Episcopis græcis
„fuerint baptizati.

Sæcul. XVI.
A. C. 1595.

Bull. tom. 3.
pag. 52.

II. San-

Sæcul. XVI.

A.C. 1595.

II. „Sanctissimum Eucharistiæ Sa-
 „cramentum. quod pro infirmis asser-
 „vatur, singulis octo diebus, aut sal-
 „tem quindecim renovetur. Non asser-
 „vetur idem Sacramentum toto anno,
 „si tamen asservatum fuerit, saltem in
 „fine anni sumatur.

„Tollatur abusus tundendi, vel e-
 „tiam miscendi sacro oleo, ac iterum
 „coquendi, vel alias exsiccandi species
 „Sacramenti sacræ Eucharistiæ feria
 „quinta Cœnæ Domini, ut deinde il-
 „lud asservent.

„Si Græci velint accipere altaria
 „portatilia ab Episcopis latinis conse-
 „crata, bene erit; sin minus, toleren-
 „tur eorum throni, sive throni super
 „altaria lapidea ponendi, cum cele-
 „brant.

„Corporalia uti Latini habeant, nihil
 „thronis etiam pro Corporalibus utan-
 „tur.

III. In casu necessitatis Presbyteri
 „Græci Catholici possint Latinos ab-
 „solvere.

„Utantur forma absolutionis in ge-
 „nerali Concilio Florentino præscripta,
 „& postea, si voluerint, dicant oratio-
 „nem illam deprecativam, quam pro
 „forma hujusmodi absolutionis dicere
 „tantum consueverunt.

„Tol-

„Tollendus abufus, ubi est, ut vir, ^{Sæcul. XVI.}
 „atque uxor simul, & eodem tempore A.C. 1595.
 „eidem Presbytero confiteantur. „

„Aqua ritu Græco in die Epi-
 „phanix, vel primo die Mensis bene-
 „dicta, confervetur in Ecclesia, ut illa
 „fideles aspergantur. „

*Institutio circa Oleum sanctum Catechume-
 norum, & Infirmorum.*

„Non sunt cogendi Presbyteri Græci
 „olea sancta præter chrisma ab Epi-
 „scopis latinis Diæcesanis accipere, cum
 „hujusmodi olea ab eis, in ipsa oleo-
 „rum, & Sacramentorum exhibitione,
 „ex veteri ritu conficiantur, seu bene-
 „dicantur: Chrisma autem, quod non
 „nisi ab Episcopo, etiam juxta eorum
 „ritum benedici potest, cogantur ac-
 „cipere: prohibeantur vero ab Episco-
 „pis Græcis externis schismaticis, seu
 „sanctæ Romanæ Ecclesiæ communi-
 „onem non habentibus, illud accipere,
 „vel eo uti. „

IV. „Ordinati ab Episcopis schis-
 „maticis, alias rite ordinatis, servata
 „debita forma, recipiunt quidem ordi-
 „nem, sed non executionem.

„Proinde ipsi Ordinati ab Episcopis
 „schismaticis, correcti, vel emendati
 „reconciliandi sunt, & absolvendi cum
 „pœnitentiis salutaribus; dummodo er-
 „rores,

Sæcul. XVI. „rores, vel saltem schisma Ordinatis
A. C. 1595. „abjurent in iudicio, vel publice, vel
 „secreto pro qualitate facti.

„In Ordinibus autem per eos alias
 „rite susceptis ministrare non permit-
 „tantur, nisi cum ipsis super irregula-
 „ritate huiusmodi occasione contracta
 „Auctoritate sanctæ Sedis Apostolicæ
 „fuerit dispensatum. „

„Non sunt admittendi Episcopi schis-
 „matici, sive pro ordinibus, sive pro
 „aliis Sacramentis conferendis, sed de-
 „tinendi, quoad sancta Sedes Apосто-
 „lica desuper consulatur, & responsum
 „habeatur. „

„Græci sine literis dimissoriis Epi-
 „scopi Latini diæcesani ad sacros Ordini-
 „nes promoti, suspensi sunt, & si su-
 „spensi in suis ordinibus ministraverint,
 „efficiuntur irregulares, sicut & Latini.

„Super huiusmodi autem, & simi-
 „libus irregularitatibus dispensandi fa-
 „cultatem a sancta Sede Apostolica ob-
 „tineri oportet.

„Si Episcopus latinus Græcum ali-
 „quem ordinare voluerit, qui a Pres-
 „bytero Græco in baptismo chrismate
 „in fronte de facto fuerit consignatus,
 „debet illum antea confirmare, saltem
 „sub conditione videlicet N. si es con-
 „firmatus &c. ut supra. Presbyteri vi-
 „dui,

„dui, seu uxoribus orbati, habitum Sæcul. XVI,
 „deferant diversum ab aliis. A.C.1595.

V. „Curent Ordinarii locorum, ut
 „decretum sacri generalis Concilii Tri-
 „dentini de reformatione matrimonii
 „vertatur in linguam græcam vulga-
 „rem, & in locis, & parochiis græco-
 „rum, & Albanensium evulgetur, &
 „publicetur.

„Matrimonia inter Conjuges Græ-
 „cos dirimi, seu divortia quoad vincu-
 „lum fieri nullo modo permittant, aut
 „patiantur, & si qua defacto processe-
 „runt, nulla, & irrita declarent.

„Maritus latinus Uxoris Græcæ ri-
 „tum non sequatur.

„Latina uxor non sequatur ritum
 „mariti Græci.

„Græca vero uxor sequatur ritum
 „Latini. „

Quod si id fieri non possit, quisque
 „conjugum in suo ritu, Catholice ta-
 „men, manere permittatur. „

„Proles sequatur Patris ritum, nisi
 „prævaluerit Mater Latina. „

„Presbyter Græcus conjugatus, an-
 „te Sacrificium, seu sanctam Missam
 „celebrandam, vel per hebdomadam,
 „vel per triduum abstineat ab uxore.

VI. „Græci credere tenentur, etiam
 „a Filio Spiritum sanctum procedere,
 „sed non tenentur pronuntiare, nisi
 „sub-

Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

„subesset scandalum, præsertim si de-
 „gant inter Latinos, aut necessitas
 „postularet confitendi fidem Catholi-
 „cam, quia tunc oporteret etiam pro-
 „nuntiare. „

„Nunquam Monachis Græcis, seu
 „Calogeris animarum cura committa-
 „tur, nisi ex necessitate, vel alia iusta
 „caussa. „

„Presbyteri seculares Græci, ab-
 „juratis schismate, & erroribus, at-
 „que in fide Catholica bene instructi,
 „in Parochialibus, seu Curatis Eccle-
 „siis Græcorum institui possunt. „

„Tolerandus est apud Græcos usus
 „carnium die Sabbati, ubi sine scan-
 „dalo fieri potest, in locis tamen ipso-
 „rum, & inter eos tantum.

„Item tolerandum est, ut ad jeju-
 „nium eodem die Sabbati in quadra-
 „gesima, excepto uno Sabbato sancto,
 „ex antiqua traditione non teneantur,
 „sed duntaxat ad abstinentiam.

„In jejuniis biduanis, vel tridua-
 „nis, vel alias a Diæcesanis, vel in
 „jubilæis a summo Romano Pontifice
 „indictis, dies Sabbati in eis compre-
 „hensus, vel præscriptus, in alium
 „diem pro plebibus Græcis ab ipsis
 „Diæcesanis, Apostolica Auctoritate
 „Sanctissimi Domini Nostri Domini Cle-
 „men-

„mentis divina providentia Papæ octavi **Sæcul. XVI.**
 „permittitur commutari. **A.C.1595.**

„Si ipsi Græci ad observationem je-
 „juniorum, & vigiliarum Latinæ Ec-
 „clesiæ induci possent, optimum esset,
 „sed non cogantur, & cum ipsis quali-
 „bet hebdomada, & feria quarta, &
 „feria sexta jejunent. „

„Græci existentes inter Latinos,
 „dies festos de præcepto ejusdem La-
 „tinæ Ecclesiæ servare teneantur.

„Insuper idem sanctissimus Domi-
 „nus noster constituit, Romæ habentem
 „esse Episcopum Græcum Catho-
 „licum, qui Græcos Episcopis Latinis
 „Italiæ, & Insularum adjacentium sub-
 „jectos, ab Episcopo Græco ordinari
 „volentes, cum illorum dimissoriis ad
 „id tantum concedendis, ritu Græco
 „ordinet. „

Hæc erant illa statuta, quæ Cle-
 mens VIII. in Congregatione pro emen-
 datione ritus Græci erecta promulga-
 verat.

§. XLVI.

Alia ejusdem Pontificis diplomata.

Die vigesima Septembris idem Ponti- *Ball. p. 53.*
 fex decretum edidit de institutio-
 ne Monasterii, seu domus Refugii nuncu-
 patæ in Alma Urbe, pro Virginum, ho-
 nestarumque viduarum educatione, & alia-
Hist. Eccles. Tom. LI. LI rum

Secl. XVI.
A C 1595.

rum mulierum ad honestam vitam se conver-
tentium probatione: his quoque pro ea-
rum sustentatione subsidia assignans Ju-
dicem specialem deputabat, ad ejus-
dem Monasterii, ejusque personarum,
& Officialium lites dijudicandas.

Tertio diplomate die decima septi-
ma Octobris edito approbatur Catalo-
gus, seu Index librorum prohibitorum
a Pio IV. jam confirmatus, nuperque
auctus: insuper facultas Cardinalium
Congregationi super indice, ad deciden-
da dubia desuper emergentia stabilitæ
datur.

Quarta Constitutione Pontifex die
decima octava Decembris declarat,
quod in crimine *Assasini* contra personas
ecclesiasticas, declaratio spectet ad Judicem
ecclesiasticum, contra Milites vero, aliar-
que personas Conventus, & Hospitalis
S. Joannis Jerosolymitani pertineat ad eor-
um Superiores, adjuncto Episcopo loci,
antequam Judices sæculares aliquam decla-
ratoriam desuper ferant, vel ad pœnarum
executionem deveniant, non obstantibus
quibuscunque statutis, legibus, aut
privilegiis in contrarium editis.

§. XLVII.

Marci Sitici Altempfi Cardinalis
obitus.

Hic

Hic pariter annus quatuor Cardinali-
 bus Altempzio, Verdalo, Castruc-
 cio, & Buccafocio erat exitialis, quos
 interprimus Marcus Siticus Altempzius
 in Germania ex illustri Comitum Al-
 tempziorum Familia in Diæcesi Con-
 stantiensi ortus, Patrem habuit Theo-
 doricum Wolfgangum S.R. Imperii Co-
 mitem, Matrem vero Claram de Me-
 dicis Pii IV. Papæ Sororem: porro Mar-
 cus die decima nona Augusti anno sa-
 lutis nostræ millesimo quingentesimo
 trigesimo tertio natus, juvenis adhuc,
 quamvis illum ejus Mater ad sacræ mi-
 litæ statum impense hortaretur, pro-
 fanæ militæ sub Avunculo suo Jacobo
 Medicæo nomen dederat, tantaque ani-
 mi voluptate arma tractaverat, ut e-
 tiam Cardinale Medicæo altero avun-
 culo suo ad summum Pontificatum e-
 vecto nondum hoc vitæ genus deseruif-
 set, nisi quidam intervenisset eventus,
 quem non sine manifesto vitæ disci-
 mine eluctatus fuerat, unde ferme pro-
 digiosa hac vitæ suæ conservatione
 commotus, absque ulteriori tergiver-
 satione depositis armis habitum cleri-
 calem induit, maxima cum lætitia
 Pii IV., qui comperta hac vitæ muta-
 tione Marcum cernere exoptavit, nul-
 loque alio facto experimento illum
 quantocius Cassanensem in Calabria Epi-
 scopum

Sæcul. XVI.
 A.C. 1595.

Ciac. in vit.
 Pont. t. 3.
 pag. 933.
 Ughel. lt. 4.
 Sacra. Ga-
 bat. in vit.
 Pii V.

Ll 2

scopum

Sæcul. XVI. scopum nominavit, insuper eundem anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo primo Sedis Apostolicæ Nuntium pro convocanda Tridentina Synodo ad Ferdinandum Imperatorem ablegavit, eodemque anno primo Cardinalibus Diaconis, & paulo post Presbyteris accensebat, qua obtenta dignitate Altempsius mox Casfanensem Episcopatum dimisit: cum vero a Canonicis Constantiensibus in Episcopum eligeretur, hujus Ecclesiæ regimen acceptavit, ac tum a Papa Avenionensi Legatione, necnon Archipresbyteri apud sanctum Joannem in Laterano, & supremi Pœnitentiarii dignitate auctus Casæ-novæ Abbatiam in Salutarum Diœcesi obtinuit: præterea Legatione Piceni ab eodem Pontifice ornatus totam hanc ditionem ab exulibus illam vexantibus expurgavit.

Ceterum dum Pius IV. Concilium Tridentinum indixerat, ac Mantuanum, Seripandum, & Hosium Cardinales tanquam Præsides eo decreverat, eis quoque Simonettam, & Altempsium adjunxit, ubi etiam Marcus a Mense Januario anni post Christum natum millesimi quingentesimi sexagesimi secundi usque ad primum versequentis anni perstitit, tandem autem a Papa revocatus ad conscribendas

copias

copias designabatur, si forte illæ neces-
 sariæ forent ad repellendos hostiles im-
 petus, quos Saxonæ, & Wittembergæ
 Duces, necnon Hassiæ Landgravius
 una ex parte minitabantur, ex altera
 vero Germani, ut fama ferebat, Ro-
 manam urbem deprædari parabant.
 Postea Altempsius mortuo Ferdinando
 ad Maximilianum Imperatorem Lega-
 tus a latere decretus Constantiæ pro
 restauranda disciplina, & emendandis
 Cleri sui moribus Synodum celebrabat:
 interfuit etiam Anno a partu Virginis
 millesimo quingentesimo sexagesimo
 quinto Comitiis Augustanis, cumque
 Gregorius XIII. in Papam electus Ro-
 mæ Collegium Germanorum a Julio III.
 inceptum amplificare decerneret, Mar-
 cum Cardinalem Altempsium unacum
 Cardinalibus Joanne Morono, Alexan-
 dro Farnesio, Ptolomæo Novocomensi,
 & Ludovico Madrutio Patronum, hu-
 jusque Collegii Protectorem nomina-
 bat. Obiit tandem Romæ die decima
 quinta Februarii anno ætatis suæ sexa-
 gesimo secundo, sepultusque est in sa-
 cello a se exstructo in Ecclesia sanctæ
 Mariæ Transtyberim, cujus titulum
 obtinuerat.

Sæcul.XVI.
 A.C.1595.

L1 3 §.XLVIII.

XXXI.
 m an-
 efimo
 Sedis
 canda
 ndum
 e an-
 s, &
 qua
 k Caf-
 cum
 ous in
 clesie
 Papa
 Archi-
 em in
 arii di-
 otiam
 præ-
 a Pon-
 em ab
 gavit.
 cilium
 antua-
 Cardi-
 ecreve-
 & Al-
 Marcus
 ristum
 exage-
 n vet
 m an-
 bendas
 copias

Handwritten notes in a cursive script, likely a library or archival stamp, partially legible as "Clem. VIII. P. Rudol. II. Occ. Imp. 533".

Sæcul. XVI.

§. XLVIII.

A C. 1595.

Hugo Verdala de Lubenæ Cardinalis
mortuus.

Ciac. p. 184.
tom. 4.

Bosius in
hist. Melit.

Lett. du
Card. D'of

fat tom. 1.

lett. 26.

pag. 451.

Thu. l. 113.

Alter ex Purpuratis hoc anno de-
cedentibus erat Hugo Verdala de
Lubenæ, qui in gentilitio castro Lubenæ
Auxitanæ Diæcesis anno Christi mil-
lesimo quingentesimo trigesimo primo
natus fuit ex parentibus tam generis
nobilitate, quam virtutum præstantia
clarissimis, qui sedulo Hugonem inter
Christianæ pietatis exercitia, ac con-
gruas generi suo disciplinas liberaliter
educabant. Hic adolescens sese Me-
litenfium Ordini consecrans, satis ma-
ture in Religionis obsequium tam præ-
clara edidit specimina, ut omnes tam
raram animi fortitudinem, ac virtutem,
quæ ætatis imbecillitatem longe
superabat, admirarentur: interfuit et-
iam Zoaræ Insulæ obsidioni, quam
Leo Strozzius Capuæ Prior solvere co-
gebatur, Hugo autem Religionis vexil-
lum rotando hostibus eripuerat: insu-
per pluribus, iisque insignibus Ordinis
sui dignitatibus auctus, Orator ad Gre-
gorium XIII. decernebatur, cujus et-
iam Pontificis benevolentiam tam
dextre sibi conciliabat, ut ejus opera
Piscennæ Commendam impetraret. Ve-
rum sub idem tempus Ordinis Senatus
con-

conspirantibus potissima ex parte Equi- ^{Sæcul. XVI.}
 tibus adversus Joannem Levequium de ^{A.C.1594.}
 la Cassiere supremum Ordinis Magi-
 strum, eoquod hic plura statuta Equi-
 tibus molesta condidisset, tumultuari
 cæperat, non sine funesto hujus dis-
 fensionis exitu; quippe Castellanæ, &
 Lusitanæ Nationis Equites, quibus e-
 tiam Arragonenses, & Germanos ac-
 cessisse referunt nonnulli, præter Na-
 tionis Gallicæ Equites ductore Mathu-
 rino Escuto passim Romegas dicto, tu-
 multuarium cogunt conventum, atque
 unaomnes supremum Magistrum que-
 stum adeunt, quod nova statuta, licet
 prudentissima fuerint, condidisset: præ-
 terea ad illum quosdam ablegant, qui
 eidem suaderent, ut ob suam in
 regendo inhabilitatem, ut inquiebant
 ipsi, sibi Vicarium nominaret: cum
 autem Magister horum postulatis cedere
 renueret, seditiosi eo temeritatis pro-
 lapsi sunt, ut illum capere, ac tanquam
 reum ad arcem sancti Angeli abducere
 auderent, ubi etiam inclusus detine-
 batur. Hanc petulantiam edoctus Pon-
 tifex hujus rei cognitionem in se susci-
 piens Magistrum, & Mathurinum Ro-
 mam venire iussit; cum vero ambo an-
 no Christi millesimo quingentesimo octo-
 gesimo secundo, ut alibi meminimus,
 jam fatis cessissent, Religionis Senatus
 L1 4 habito

Sæcul. XVI. habito consilio ad novi Magistri electionem hoc anno procedere decreverat igitur ex tribus, quos Papa nominavit, Equitibus, Verdala Lubenx eligitur, qui tum supremus Provincialis Nationis Commendator erat: porro ejus electionem habuit ratam summus Pontifex, atque ad eum diploma transmisit, vi cujus quamdam dignitatem, vulgo *Turcopelier* dictam, antiquitus Anglicæ Nationi annexam supremo Magisterio adjunxit, aggregavitque, necnon Magistro concessit, ut insignibus suis coronam Principis addere valeret. Postmodum Verdala a Sixto V. Gregorii XIII. Successore Romam accersitus seditionem adhucdum in suo Ordine grassantem cohibere, ac seditionis silentium imponere jubebatur, dein autem anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo septimo Cardinalium Collegio adscriptus, hac dignitate clarus Melitam revertebatur: ceterum durante suo Magisterio Patribus Capuccinis Cœnobium, Religioni autem Bosqueram arcem, quæ ab ejus nomine castrum montis Verdalæ appellabatur, construxit, Ordinisque statuta emendans Jacobum Bosium selegit, ut Melitensem Historiam jamjam a Joanne Antonio Toffano inchoatam prosegueretur: verum denuo Equites ob statutorum

torum emendationem, quamvis hæc Sæcul. XVI.
 ad reformandos Equitum mores oppido A.C.1595.
 necessaria fuisset, tantam indignatio-
 nem concipiebant, ac seditionis furo-
 rem eo usque exerebant, ut Verdala
 tot querelas, ac indignos Equitum mo-
 dos pertæsus, relicta Insula Romam
 rediret, ubi etiam die quarta Maji Christo
 in cælos ascendenti sacra anno ætatis
 suæ sexagesimo quarto animam Deo
 reddidit, postquam per tredecim an-
 nos Religionem administraverat, cui
 postea Martinus Garcez ex Arragonensi
 Natione tanquam supremus Magister
 successerat. Erat Verdala Vir ab omni
 partium studio summopere alienus,
 cumque regiminis curam cum clien-
 tibus suis nunquam partiretur, semper
 administrationis suæ ratio tam Equiti-
 bus, quam toti populo plurimum ac-
 cepta erat.

§. XLIX.

Mors Cardinalis Castrucci.

Verdala Cardinale mortuo Joannes Ciac. p. 153.
 Baptista Castrucius vix duobus Ughel. It.
 Mensibus vita superstes fuit. Erat is an- Sacra t. 6.
 no Incarnationis Dominicæ millesimo
 quingentesimo quadragesimo primo Lu-
 ciæ in Etruria ex nobilissimis parenti-
 bus Vincentio Castruccio, & Angela
 Lilia natus, qui in celeberrimis Italiæ

Ll 5

Aca-

Sæcul. XVI. **A.C. 1595.** **Academiis** animo scientiis expolito Doctoratus lauream anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, ætatis autem suæ vigesimo quarto consecutus fuit, ac tam profunda juris peritia eminuit, ut inter patriæ suæ Senatores relatus cum summa integritate, ac nominis sui laude Republicæ negotia administraret. Romam deinde se contulit, ubi in Felicis Cardinalis Montalti familiam adscitus ab eodem jam Pontifice sub nomine Sixti V. renuntiato, Basilicæ vaticanæ Canonicatum accepit, ac supplicum libellorum præfecturam primo gessit, mox vero Archiepiscopus Theatinus, & Presbyter Cardinalis tituli S. Mariæ de Araceli anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo quinto ab eodem Pontifice Sixto V. renuntiatus fuit, qua dignitate auctum Respublica Lucensis duobus aureorum nummorum millibus donavit. Demum post Cardinalis Piarri mortem Signaturæ utriusque Præpositus, ac in maximis negotiis, & Congregationibus cum magna nominis sui laude adhibitus, ac a Clemente VIII. Pontifice Maximo SS. Joannis, & Pauli titulo ornatus est: verum cum a balneis Pisanis Romam rediret, anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto die decima octava Septembris, ex jej-

coris male affecti morbo, feria quarta ^{Sæcul. XVI.}
 anno ætatis nonnisi quinquagesimo ^{A.C.1595.}
 quarto Lucæ e vita migravit, cui patria,
 ære publico iusta persolvebat, & eum
 amplo funere decorabat, dum sepultus
 est in sancti Francisci ædibus ubi ho-
 diedum sepulcrum illius elogium visi-
 tur. Hic idem Cardinalis suffragium
 tulit in Comitibus Pontificiis initis pro
 electione Urbani VII. Gregorii XIV. In-
 nocentii IX., & Clementis VIII.

§. L.

Constantii Sarnani fatum.

Denique ex Cardinalibus, qui hoc ^{Ciac. p. 166.}
 anno mortalitatem exuerunt, nu- ^{Ughel. l.c.}
 mero quartus erat Constantius vulgo ^{Wading. de}
 Sarnanus dictus, eoquod Sarni in Nea- ^{Script. Ord.}
 polis Regno primam lucem aspexisset, ^{Min.}
 proprio enim nomine Buccafocus no-
 minabatur, illustri illius patriæ genere
 natus, qui decimum ætatis suæ annum
 egressus Religionem S. Francisci Ordi-
 nis Minorum Conventualium amplexus,
 mutato Casparis nomine, quo in ba-
 ptismate fuerat vocatus, Constantius,
 seu Constantinus appellari voluit: post-
 ea Magisterii insignibus decoratus, Pe-
 rusiæ, Patavii, & Romæ Philosophicas,
 & Theologicas scientias publice docuit,
 & publicas conciones pietate, atque
 eruditione commendatas habuit: porro
 non

Sæcul. XVI.

A C 1595

non solum docendo, & concionando, verum etiam literarum monumentis inclaruit, exstant namque ejus præclara scripta, quibus S. Thomæ Aquinatis, & Scoti controversas opiniones ad concordiam redigere nitebatur, quod sane opus ceteris palmam præripere videtur, nam ibidem septingentas, vel omnino octingentas collegerat opiniones, circa quas ambo hi Doctores inter se dissident. Scripsit etiam I. summam Theologicam, II. tractatum de secundis intentionibus, juxta Scoti doctrinam, III. additiones in Joannis Antonii Delphini commentaria in Evangelium sancti Joannis, IV. Commentarios in Epistolam Divi Pauli ad Hebræos, V. adnotationes, seu illustrationes imaginales in formalitates Antonii Sirecti, VI. librum locorum communium Theologiæ, VII. plura alia opera Philosophica juxta Scotistarum opiniones: insuper sancti Bonaventuræ opera jussu Sixti V. aucta, atque emendata typis edi curabat, pluraque alia ingenii sui monumenta posteris reliquisset, nisi morte præventus fuisset. Ceterum cum semper magna ei fuisset cum Fratre Felice de Montalto ejusdem instituti viro familiaritas, hicque ex Constantii consilio, dum in suo ordine supremum Magistratum gessit, multa constituisset,

ob

Sæcul. XVI.
A.C 1595.

ob id a præfato Montalto ad supremam
Ecclesiæ dignitatem evecto Romam
Sarnano evocatus Cardinalis creabatur,
ac præter alios Purpuratos Inquisitioni,
Regularium caussis, & Vaticanis typis
præfectus Vercellenfis Episcopus nomi-
nabatur, quam tamen Ecclesiam duo-
bus tantum annis administravit, dein
vero ab eo munere missionem impetra-
vit: interfuit Comitiis Pontificiis habi-
tis pro electione Urbani VII. Gregorii
XIV. Innocentii IX. & Clementis VIII.
sub quo cum S. Hyacinthi Apotheosi,
ut supra memoravimus, affuisset, Ro-
mæ in cœnobio SS. duodecim Aposto-
lorum, ubi habitabat, repentino pi-
tuitæ, & sanguinis defluxu suffocatus
fuit, cum enim paulo ante infirmitatis
malum præsentiens, Ecclesiæ Sacra-
mentis se muniisset, die Dominico, pri-
die kalendas Januarii, anno salutis mil-
lesimo quingentesimo nonagesimo quin-
to, ætatis autem sexagesimo quarto
animam emisit: porro ejus Cadaver in
Ecclesia S. Petri in Monteaureo, cu-
jus titulum, relicto primo S. Vitalis
adoptaverat, depositum ac postea in ca-
strum Sarnanum, quod est in Piceno,
translatum fuit ad Ecclesiam sancti
Francisci Conventualium, quam hic
idem Cardinalis, prout etiam ipsum
met

Sæcul. XVI
A.C. 1595. met Coenobium non sine magnis expensis refecit.

§. LI.

*Continuata historia de vita sancti
Philippi Nerii.*

Gallon &
Barnab.
apud Bol-
land. p. 463.
& 524.

Interea Sodales sancti Philippi Nerii, cujus jam sæpius meminimus, singulis diebus plures Christo lucrifacere satagebant, præprimis enim nova instituebant colloquia, ubi cum Judæis, & hæreticis de fidei controversiis disputabant, ut autem in hac exercitatione amplior colligeretur seges, Philippus Nerijs sodalibus suis solidum traditionis studium impense commendabat, quam in rem præ ceteris celebris Baronii operam impendens, eidem auctor extitit, ut Historiæ ecclesiasticæ monumenta solerter colligeret, unde hujus sancti monitis annales, quos doctus hic Cardinalis ediderat, in acceptis referre tenemur.

§. LII.

*Constitutiones, ac statuta ab hoc
sancto præscripta*

Joan. Mar-
cian histor.
Congr.
Orat.
Galon. S.
Philip.
Nerii.

Hucusque Philippi Nerii Discipulis nulla Regula scriptotenus erat tradita, cum solius charitatis studium ipsorum actiones, atque exercitationes dirigere videretur: aucto autem indies illo.

illorum numero sanctus hic Vir ad eorum preces quasdam Constitutiones, & statuta illis præscripsit, quæ a Gregorio XIII. Papa edito hanc in rem diplomate fuere confirmata, ubi paulo post Neapoli, atque in pluribus Italix Urbibus Oratoria juxta Romani normam instituebantur.

Sæcul. XVI
A. C. 1595.

Celebrabant etiam hujus Congregationis Sacerdotes prima sua comitia anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo septimo, in quibus iidem suum Fundatorem in supremum, ac perpetuum Congregationis Moderatorem nominabant, decernentes, ut eo defuncto ceteri Generales deinceps per triennium suo officio defuncti censeantur, quamvis in suo munere tamdiu confirmari valeant, quamdiu bene visum fuerit, ac id subditorum utilitas deprecere videbitur: ceterum S. Philippus prioribus Constitutionibus jam antea conditis novas addidit, atque inter alia præcepit, ut suæ congregationis Sodales nullo voto sese obstringerent, insuper nullo pacto illos aliis Regulis, quam evangelicæ doctrinæ morali subijci voluit. edebantur hæc Constitutiones Romæ anno Christi millesimo sexcentesimo duodecimo, ubi inter alia hæc præscribuntur. I. Sodales, cum juxta suum institutum nullo voto,

Institut.
Conveg.
Orat. c. I.
num. 4.

Sæcul. XVI voto, sed duntaxat mutuae charitatis
A. C. 1595. vinculo obstringantur, hunc in se spi-
 ritum semper conservare satagant. II.
 Si contingeret, quod ex ipsis nonnulli
 Congregationi vota imponere vellent,
 hi nullatenus audiantur, etsi numero
 ceteris prævalerent, his vero, quam-
 cunque Religionem voluerint, amplecti
 liberum sit, atque illi, qui in Congre-
 gatione remanserint, in omnium bo-
 norum possessione relinquuntur, nisi ea
 cum ceteris partiri teneantur. Altero
 decreto, quod ceteris Congregationi-
 bus unice ad protendendos suos fines
 intentis admodum opponi videtur, præ-
 scribitur, quod ad impediendam om-
 nem dissipationem, & confusionem ex
 majori Collegiorum numero timendam
 una sola Congregatio Romæ stabilia-
 tur, eaque nullius alterius Collegii
 regimen in se suscipiat: si tamen in
 aliis urbibus ejusmodi Oratorium ad
 Romani normam erigeretur, tunc nova
 hæc Oratoria non annectantur Romano,
 perinde ac si ex illis unum corpus co-
 lesceret, sed quælibet domus juxta Ro-
 manam seorsim sese gubernet, adeo,
 ut sint quasi totidem corpora. quorum
 unum ab altero non dependet, exci-
 piebatur tamen Romana Domus, eo-
 quod ea tres domos sibi unitas habe-
 ret, scilicet Neapolitanam, Sanseveri-
 nam, & Lancianensem. Por-

Porro Romanum Oratorium ab uno, qui Patris nomine gaudet, Superiore gubernetur, eique adjungantur quatuor Sacerdotes Deputati, qui tanquam Assistentes cum illo regiminis curam partiantur: Superior autem saltem quadraginta ætatis suæ, & quindecim Congregationis annos numeret, qui ab Oratorii Sacerdotibus saltem per decem annos in hac domo agentibus plurimum suffragio eligatur, ac nonnisi per triennium suo fungatur officio, nisi evolutis hisce tribus annis rursus confirmetur: porro ab eo rei domesticæ administratio dependeat, ejusque curæ incumbat ad victum, & sustentationem necessaria privatis subministrare: pauperibus tamen, atque exteris ultra aureum singulis mensibus absque quatuor suorum Assistentium consensu elargiri non valeat, si vero summa decem aureos superat, omnium consensus requiritur: ceteri autem Oratorii Ministri, qui pariter nonnisi ad triennium officiis suis vacare possunt, a Superiore denominentur unacum quatuor suorum Assistentium suffragio: ut vero æri alieno, quo hæc Societas non sine dispendio sese onerare possit, contrahendo obvietur, ex Assistentibus unus, necnon unus ex conventu singulis annis articulatim expensas ad trutinam vocent, totumque

Sæcul XVI.
A.C.1595.

Instit. l.c.
c 5. & 6.

Hist. Eccles. Tom. LI. Mm Do

Sæcul. XVI. Domus statum omnibus congregatis re-
A.C. 1595. ferant, ut constet, an debita fuerint
 contracta, & ad quantam summam sese
 Congregationis sumptus extendant.

Ad hanc Societatem nullus nisi sal-
 tem vigesimum secundum annum atti-
 gerit, recipiatur, excludantur vero,
 qui jamjam quadragesimum quintum
 excefferunt: præterea si qui juxta Ca-
 nonum statuta sacros Ordines reci-
 pere prohibentur, nonnisi tanquam
 Laici in hac Congregatione permanere
 poterunt: porro iis, qui recipi postu-
 lant, legendæ tradantur Constitutiones,
 ut nonnisi re mature pensata sese huic
 Instituto mancipient: dum vero reipia
 admitti fuerint, integro Mense hospi-
 tium more in domo permaneant, ut ex-
 actius, quæ ibi servantur, explorare,
 ac semetipsos probare valeant, an ad
 hoc vitæ genus idonei sint: postquam
 vero ibidem cum ceteris per triennium,
 versati fuerint, tanquam Congregatio-
 nis membra habeantur, eorumque no-
 mina suæ Domus albo inferantur, quia
 transacto hoc temporis spatio nonnisi ex
 gravissimis culpis expelli valent: ut
 tamen res majori adhuc æquitate aga-
 tur, harum culparum conditionem om-
 nes Sacerdotes, qui per decem annos
 jamjam in Congregatione transegerunt,
 una congregati examinabunt, quolibet
 suum

Sæcul XVI.
A.C. 1595.

suum ferente suffragium, adeo, ut ex tribus duæ partes rem decidere censeantur. Ceterum illi, qui sese huic Societati aggregant, ad præstitutam non tenentur pensionem, sed juxta mensuram suorum bonorum, quæ possident, communitati tradent: si vero forensi cuidam liti sunt impliciti, priusquam Congregationi nomen dant, illam finire teneantur, iisque suos redditus ad pios usus, prout eis videbitur, impendendi libertas relinquatur: prohibetur tamen, ne illos ad census elocent, vel accumularent. Reliqui demum, qui patrimonio carent, Congregationis proventibus alentur, cum Congregatio ejusmodi redditus non exigit ab iis, qui illis destituti sunt, aut absque proprio incommodo carere nequeunt. Denique horum Sacerdotum munus mere sit Apostolicum; singulis enim diebus in suo Oratorio, vel Ecclesia sermones ad populi præsentis captum perorent, sese Auditorum habilitati accommodantes. Cuncta hæc ad verbum ex ipsorum Constitutionibus deprompta sunt.

Interea sanctus Philippus non sine magno animi sui júbilo cernebat, quod Deus suam benedictionem largiter effunderet in ipsius Congregationem, quamvis in primis ejusdem incunabulis non defuissent, qui eidem adversarentur,

M m 2

rentur,

Sæcul. XVI. A.C. 1595. rentur, prout plerumque idem fatum
 nova Instituta etsi laudabilissima subire
 coguntur: præprimis enim ipsemet Sanctus
 apud Romanæ Urbis Vicarium in-
 simulabatur, quod perniciosos conven-
 tus agi permetteret, ac plurima profus
 absona in sermonibus, & colloquiis
 publicis per suos Sodales habitis pro-
 ferri toleraret: quinimo eidem sacras
 confessiones excipere interdictum, nec
 non Verbum Divinum annuntiare pro-
 hibitum, quibus tamen mandatis ipse
 sese humillima animi demissione sub-
 jiciebat, donec Deus Servi sui inno-
 centiam, atque rectam ejus voluntatem
 testatam fecerat: cum autem nullus
 ferme præterlaberetur annus, in quo
 sanctus Vir gravi non premeretur morbo,
 viriumque suarum imbecillitas indies
 ingravesceret, ac sese officii sui munia
 subeundo imparem experiretur, Gene-
 ralatum anno Domini millesimo quin-
 gentesimo nonagesimo secundo exiit,
 invitis omnibus Congregationis Patri-
 bus, qui eum ab hoc proposito abster-
 rere totis viribus nitebantur. Nihilominus
 sibi subrogari curabat Baronium,
 qui ex Constitutionum præscripto, ut ab
 hoc onere liberaretur, opportuno ute-
 batur prætextu dignitatis Cardinalitice,
 qua unacum Taurusio ejusdem insti-
 tuti

tuti Alumno, ac postea Avenionensi Archiepiscopo honorabatur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

§. LIII.

Sancti Philippi Nerii obitus, ejusque Canonisatio.

Philippus Neri, dum hi duo ejus Discipuli Romana Purpura fulgebant, haud amplius vita superstes erat, quippe media nocte, quæ vigesimam quintam a vigesima sexta Maji segregat, anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, ætatis vero suæ ferme octogesimo secundo placidissime in Domino obdormierat, ubi dein ejus corpus in Vallicellano Templo per tres dies exponebatur, innumera populi multitudine conflente, suamque ei venerationem profitente: postea vero ligneæ nigri coloris tumbæ inclusum, ac in Sacello depositum est, crebrescente autem plurium miraculorum ad ejus sepulcrum patratorum fama sub Clemente VIII. de ejus Canonisatione agi cæperat, quamvis hoc negotium non nisi anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo regnante Gregorio XV. ad exitum deduceretur. Porro vitæ ejus historiam ab obitus sui anno ad annalium normam descripsit Antonius Gallonius ejusdem Discipulus: aliam vero ejusmodi historiam Italo,

*Gall. l. c.
Baillet vie
des Saints
tom. 2.
26. Maji.*

Mm 3

ac

Sæcul. XVI. ac postea latino sermone tempore Canonisationis elucubravit Jacobus Baccius Oratorii Presbyter: tertiam denique longo post tempore miraculorum copia longe uberrimam edidit Hieronymus Barnaba Generalis Oratorii Superior: ceterum omnes hi tres Historici prorsus singularia, quæ certe non cuiuslibet genio sapiunt, de hoc sancto referunt.

§. LIV.

Christophori Cheffontani mors.

Dupin. bibl. 16. Siæcl. Simon crit. de la bibliot. de M. dupin. tom. 2. Regist. de l' Egl. de Sens M. S. Hoc item anno literaria Respublica jacturam deplorabat celebris cuiusdam Theologi ex Fratrum Minorum Ordine, nomine Christophorum Cheffontanum, qui a suis Superioribus cognita hujus juvenis propensione, atque habilitate ad literas, paulo post nuncupata Religionis vota Parisios mittebatur, in qua urbe præclaros in humanioribus literis, Philosophia, & præcipue Theologia profectus in tam tenera ætate fecerat: hinc postea brevi ad prædicandi Verbi Divini munus selectus sacram hanc exercitationem cum ingenti applausu obibat, sæpius in variis Ordinis sui Asceteriis in Guardianum, ac demum anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo secundo in Britannicæ

nicæ Provinciæ Rectorem electus, quo Sæcul XVI.
 munere expleto ejusdem Provinciæ A.C.1594.
 Custos interea Romam profectus Theo-
 logiam in Conventu de Ara Cæli tra-
 dere jubebatur, tandem vero supremus
 Ordinis Moderator renunciatus, eo mu-
 nere cum summa prudentia, ac sapien-
 tia fungebatur. Absoluto hoc officio,
 a Gregorio XIII. Papa anno Salutis
 nostræ millesimo quingentesimo septua-
 gesimo nono Cæsariensis Archiepisco-
 pus nominabatur, ut in Diæcesi Seno-
 nensi absentis Cardinalis Pellevei Epi-
 scopi plerumque Romæ commorantis
 vices, atque Episcopatus munia obire
 posset, ubi etiam in hac Diæcesi ma-
 gnum sibi nomen comparaverat, atque
 à tempore, quo ei hujus Ecclesiæ ad-
 ministratio erat commissa, raro admo-
 dum a grege suo absens fuit usque ad
 Mensẽ Septembrem anni post Chri-
 stum natum millesimi quingentesimi
 octogesimi sexti, quo in Flandriam per-
 gere cogebatur, ubi totam ferme hanc
 Provinciã peragrans ubique magnis
 honoribus exceptus est, atque Antver-
 piam delatus suis sermonibus hæretico-
 rum quamplurimos ad fidem revocabat,
 innumeros vero Catholicos jamjam de-
 fectioni proximos in fidei veritate cor-
 roborabat: prospero hoc sacræ suæ ex-
 peditionis successu invidiam sibi accer-

Sæcul. XVI. sens accusabatur, quod ipse opiniones
A. C. 1595. parum orthodoxas soweret, eapropter
 ejus hostes Leodium ad Pontificis Le-
 gatum perscribere, quod dogmata Ec-
 clesie Romanæ doctrinis adversa ad
 populum diceret, ac novitatibus imbu-
 tus videretur: cum autem Cheffonta-
 nus hac in re innocentia sua se tutum
 crederet, ipse Romam ineunte anno
 Domini millesimo quingentesimo octo-
 gesimo septimo sedente Sixto V. Papa
 venit, ibique inimicorum suorum tela
 potius humili patientia, quam elabora-
 tis apologiis eludebat, tacite præstola-
 tus, donec ea, quæ ipsi erant impu-
 tata, argumentis probarentur: verum
 nunquam rationibus doctrina ejus fuit
 oppugnata: porro cum toto, quo Romæ
 morabatur, tempore quinque Pontifices
 ad Divi Petri Cathedram evecti fuissent,
 nimirum Sixtus V. quo regnante Ro-
 mam venerat, necnon Urbanus VII.
 Gregorius XIV. Innocentius IX., & Cle-
 mens VIII. anno Salvatoris millesimo
 quingentesimo nonagesimo secundo die
 trigesima Januarii electus, hinc ob tot,
 tamque frequentes Pontificum succes-
 siones Cheffontanus præpediebatur, quo
 minus suam doctrinam solemniter rito a
 sacra Sede Apostolica confirmari pete-
 ret, prout tamen ardentem desiderabat:
 verum ex ipsa benevolentia, & vene-
 ratio-

ratione, qua ipsum omnes hi quinque Pontifices dignabantur, haud obscure colligi potest, quod suorum adversariorum accusationes flocci habuerit: interim dum in conventu sancti Petri in Monte aureo habitabat, a Domino Deo hoc anno, ætatis vero suæ sexagesimo tertio die vigesima sexta Maji ad æternitatis domum vocabatur.

Ceterum Cheffontanus per plures annos singulis diebus undecim horas studiis impendebat, qua etiam assiduitate sibi præter linguam patriam, seu inferioris Britannicæ idioma hæbraici, Græci, latini, Hispanici, Italici, & Gallici peritiam comparabat, Theologicis etiam Disciplinis, ac præcipue sanioris criseos acie in Theologia clarus. Scripsit libros quamplurimos, quorum tamen potissimi hodiedum incogniti sunt, ex his vero magis curiosum, magisque expetitum est opus latinum anno millesimo quingentesimo octogesimo sexto Parisiensibus literis in bessalibus foliis editum, cui typographus pro suo arbitrio hunc titulum præfixit: *de necessaria emendatione Theologicæ Scholasticæ, seu, de necessitate contrarias Scholasticorum opiniones conciliandi*, cum tamen Author librum suum hoc solo titulo insigniri petierit: *de variarum Scholasticorum opinionum conciliatione*,

Mm 9

prout

Sæcul. XVI.

A. C. 1595.

Sæcul. XVI.

A.C. 1595

prout ipsemet in præfatione post epistolam nuncupatoriam ad Sixtum V. Pontificem directam affirmat: quam vero ob causam Cheffontanus hoc opus ediderit, percipiamus.

Anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo quinto cum hic Author Adventus Dominici tempore Parisiis ad populum diceret, in quodam suo sermone proferebat, quod Eucharistia solis hisce quatuor verbis: *hoc est Corpus meum* confici non valeat, si hæc verba duntaxat *materialiter* pronuntientur, jungendam igitur dicebat simul benedictionem, atque orationem, per quam Sacerdos a Deo efflagitat, ut panem, & Vinum in Corpus, & Sanguinem Christi Domini convertat: addebat tamen Cheffontanus, quod circa hoc caput iudicium suum Ecclesie Catholicæ, Apostolicæ Romanæ subiciat insuperhabita tamen hac limitatione ex ejus propositione ibidem prolata motus oriebantur, unde pro illius defensione plura edidit opuscula, atque inter alia præcipue illud, de quo mox mentionem fecimus.

Præterea Cheffontanus in pluribus aliis libellis idem hoc argumentum pertractabat, ex quibus quidam liber gallice scriptus celebratur sub hoc titulo: *Defensio fidei ad Majores nostros traditæ*

circa

circa realem præsentiam Corporis Christi Sæcul. XVI.
Domini in sanctissimo Altaris Sacramento, A.C. 1595.
ubi plusquam centum argumentis ex puro
Dei Verbo, ejusque circumstantiis hæc fidei
veritas comprobatur. Porro, hic liber in
 eadem forma Parisiis anno Salutis no-
 stræ millesimo quingentesimo octogesimo
 sexto primam lucem aspexit, ubi Au-
 ctor in sua præfatione Cardinalem Pel-
 leveum suum nominat Mæcenatem, &
 Cardinalem Hosium ideo deprædicat,
 quia hic Gregorio XIII. & Cardinalibus
 præter hoc opus illo ævo nullum ma-
 gis efficax contra hæreticos prodiisse
 significabat: imo Compluti etiam hic
 liber magni habebatur, quamvis non
 defuissent, qui illum impugnabant, qua-
 propter Cheffontanus denuo præfatio-
 nem apologeticam edere cogebatur, in
 qua tamen quinque partibus compre-
 hensa, quarum unam post alteram vul-
 gaverat, studiosè hæreticos non aucto-
 ritate, sed rationibus refellit, eo quod
 hi, quibuscum ei res erat, Ecclesiæ
 Patres fidei nostræ judices esse negarent.
 Idem quoque argumentum hic Scriptor
 discutiebat in alio libro, quem ita in-
 scripsit: *de efficacia verborum, quibus con-*
secratio fit. Edidit hoc opus anno post
 Christum natum millesimo quingentesi-
 mo octogesimo quinto: insuper alia ad-
 huc lucubratione, quam anno millesi-
 mo

Sæcul. XVI.
A.C. 1595

mo quingentesimo sexagesimo octavo Caroli IX. Regis privilegio munitam ediderat, ingens sibi nomen comparaverat, cujus operis titulus erat sequens: *responsio familiaris ad epistolam contra liberum arbitrium, & merita bonorum operum*: ipsam vero hanc epistolam, quam refellit, ad initium libri sui recitat.

Cetera ingenii monumenta, quæ Chessfontanus posteris reliquit, erant hæc I. *Christiana consutatio contra propriam honoris defensionem, qua Nobiles suas monomachias, & duella honestare nituntur, præter duos Dialogos de honore Nobilium*. Hoc opus ipsemet latine reddidit. II. *Defensio Catholica perpetuæ Virginitatis Mariæ, & Joseph ejus conjugis unacum dialogo circa idem argumentum, ubi priorem suum librum defendit, novisque argumentis corroborat*: ambo autem hi libelli latino idiomate prodire. III. *Supplementum continens privilegia recens concessa, quæ in collectione Monumentorum Ordinis Minorum sancti Francisci omissa fuerunt*. IV. *Compendium latine editum de Fratrum Minorum, aliorumque Religiosorum Mendicantium privilegiis unacum decisionibus plurium quæstionum, quæ in Regulam sancti Francisci a Divo Bonaventura editam moveri possent*. V. *nova fidei defensio contra impios,*

impios, Athæos, & infideles, qui li-
ber latine conscriptus est. VI. Alia
fidei defensio contra impios in quatuor
dialogis exhibita. VII. Plura opuscula
dogmatica latine scripta de invocatio-
ne sanctorum, Jubilæo, & indulgen-
tiis &c.

§. LV.

Guilielmi Witakeri exitus.

Hoc anno, ætatis vero suæ quadra-
gesimo septimo Cantabrigæ vitam
finit Guilielmus Witakerus in Comi-
tatu Lancastrænsi ex familia honesta in
prædio Holmio natus, ac magni nomi-
nis inter suos Theologus, qui juvenis
adhuc Anglicanam Liturgiam, necnon
Ivelii disputationem contra Hardingum
latine reddidit, atque Catechismum
ab Alexandro Novello Avunculo suo
compositum in Græcum idioma trans-
tulit. Postea in Græcorum, & Lati-
norum Patrum lectione assiduus tam
impigro labore studiis insudabat, ut
viribus suis penitus exhaustis totum
reliquum vitæ suæ spatium semper lan-
guesceret: præterea Ivelum Sarisbe-
riensem imitaturus, seu potius æmu-
lationis æstro percitus semper calamo
concertabat, nunc Edmundum Campia-
num Jesuitam, nunc Joannem Duræum,
ac Thomam Stapletonium celeberrim-
um

Sæcul. XVI.

A.C. 1595.

Th. I. 113.

Sæcul. XVI. mum Angliæ dogmaticum Scriptis suis
 A.C. 1595. laceffens.

§. LVI.

Continuata Fausti Socini historia.

*Sandi. Bibl.
 Antit. p. 65.
 & seq.
 Hornbeek
 appar. ad
 controv. Soc.
 vita Faust
 Soc. aut.
 Przipeovio.*

Demum Faustus Socinus, cujus jam supra meminimus, anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo quarto relicta Florentiæ aula Baileam venit; tres ibidem annos commoratus: toto autem hoc temporis intervallo unice intentus erat, ut pernitiōsa Lælii Socinii Patruī sui scripta pervolveret, omnesque illorum impietates liberaliter imbiberet, quibus abunde saginatus eadem quoque aliis instillare satagebat: cum vero ejus Amici sat probe prospicerent, quod hac ratione in patria Calvinī opinionibus superstitione addicta funestum sibi negotium facefferet, hinc illum ab acuendo suo calamo abstertere totis viribus nitebantur: ast oleum, operamque perdidere; quippe Faustus anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo latinum opus *de Jesu Christo Salvatore* conscripsit, quod tamen non nisi hoc anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto publicam lucem aspexit, editionis curam in se suscipiente Elia Arcissevio ejus Discipulo, qui prima vice nefando huic partui nomen Fausti Socini apposuit, cum antehac
 ejus

ejus opera nunquam illius nomen præ-ferrent. Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

§. LVII.

Fausti disputatio cum Francisco Puccio.

Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo septuagesimo octavo Socinus acri disputationi cum Francisco Puccio de statu primi hominis implicabatur. Erat hic Puccius Florentiæ ex illustri genere ortus, qui novarum opinionum illecebris inescatus relicta vera Ecclesiæ fide, ut suos errores spargendi ampliorem nancisceretur libertatem, Lugduno, ubi mercaturam agebat, excedens in Angliam venit, ut Oxoniæ Theologicis disciplinis imbueretur: postea Londinum profectus, ac præclara de se opinione fascinatus sui ævi celeberrimum se esse Theologum existimabat, atque ad Helvetios pergens cum Socino circa quæstionem de statu primi hominis in arenam descendit: quam vero ipsemet opinionem circa hunc articulum propugnauerit, non referunt Scriptores, id tamen vero fat simile est, quod ea Basileensium sententiæ adversa fuerit, eoquod ab illis tanquam Vir de novis erroribus suspectus urbe ejectus fuisset. Ergo Londinum redire coactus ob sua dogmata in vulgus

*Hoornbeck
l. c.*

Handwritten notes in red ink, including the name 'Socinus' and other illegible characters.

Sæcul. XVI. vulgus sparsa carceri mancipatur: quoniam
A.C. 1595. nimo Socinus inter disputandum ad
 maximas illum redegit angustias, quamvis ipsemet tot novitates, atque insulsa dogmata evomisset, ut non minus ejus amici, quam ipsius hostes, quales erant Lutherani, & Calvinistæ ab eo etiam aperta vi sese segregarent, illumque tanquam factiosum, furiosum, maledicum, arrogantem, Novatorem & hæreticum traducerent: insuper illum infimulabant, quod horrendas, Deique verbo adversas opiniones propugnaret, & propitiationis Sacrificium a Christo Domino pro nobis oblatum pernegaret. Socinus hæc probra identidem ei obiecta pertæsus eodem adhuc anno Basilea excessit, Tigurum delatus, quo Puccius recuperata libertate illum insequabatur, unde inter eos recrudescente disputationis æstu sacris litigiis nonnisi in Polonia finis fuit impositus.

§. LVIII.

Puccius ad rogi supplicium damnatus.

Micraël. Synt. hist. Eccl. p. 860. Gilb. Vætius disp. Theol. l. 2. pag. 234.

Attamen Puccius funestum vitæ suæ exitum fortiebatur; postquam enim varias regiones peragrasset, tandem in Archiepiscopi Salisburgensis manus incidens, ab eodem Romam mittebatur, ubi

Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

ubi anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo sexto ad rogi supplicium damnatus est. Hunc Virum depingens quidam Scriptor testatur, quod nequidem leviter literis, ac Philosophiæ, & sacri Codicis cognitione tinctus libros edere, ac disputationes instituere præsumpserit, & fanaticis deliriis plenus pro aris, & focus propugnarit, omnes honestæ vitæ Viros etiam Paganismo addictos salutem æternam consecuturos, quin alicujus saluti obstet, quod religionis principia ignoret, fidem evangelicam abneget, aut Baptismum non receperit, cum moribus exterius inculpatis vivere, satis, superque sit. (*) Præterea Socinus in quodam suorum operum hæc addit: „recepti ab eo librum italice scriptum circa signaculum „sacris literis appositum, nihil tamen „in divino hoc Codice intelligi potest, „sed utriusque magni Viri Moyfis, & „Eliæ, de quibus in Apocalypfi mentio „fit, adventus est præstolandus, hi enim „om-

(*) Quot, & quanti hodie inter Christianos reperiuntur ejusmodi Pucii rogi supplicio digni, qui tamen sese *Esprits-Forts* nominant, & illustrati sæculi felicitati veram fidei suæ cognitionem, seu potius æternam salutem debere jactitant.

Hist. Eccles. Tom. I. l. 1.

Nn

Sæcul. XVI. „omnia Bibliorum mysteria explica-
 A.C. 1595. „bunt: eapropter hac regula ad diri-
 „mendas Religionis controversias ante
 „hæc tempora uti haud debemus.”

§. LIX.

*Socinus seditionis apud Polonia
 Regem accusatus.*

*Socin. de
 Mag. adv.
 Paleol. p. 1.*

Hornbeck l.c.

Postea Socinus Tiguro in Transylva-
 niam contendit, illinc vero exeunte
 anno millesimo quingentesimo septua-
 gesimo nono delatus Sectariorum Ec-
 clesias variis dissidiis foede scissas repe-
 riebatur: has igitur suis fallaciis eo in-
 duxerat, ut in nefandas ejus opinio-
 nes conspirarent: cum autem a spuris
 reformatis impugnaretur, hisce dissidiis
 sibi funestum negotium apud Regem
 facebat; hi enim hæretici, ut extre-
 mum Socino exitium pararent, eun-
 dem coram Stephano Battorio Polo-
 niæ Rege accusabant, quod suo libro
 contra Jacobum Palæologum seditio-
 sas opiniones insperferit, ac intestina
 bella, quibus Regnum aliunde infesta-
 batur, fovere sategerit: verum hæc
 Protestantium accusatio tam manifesto
 innitebatur mendacio, ut ad eos falsi-
 tatis convincendos duntaxat ipsum So-
 cini librum consulere satis, superque
 sit; ibidem enim passim legitur, quod
 accerrime illorum opinioni, qui arma
 adver-

Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

adversus suum Principem capeffunt, sese opposuerit, ac ipse Theologos Protestantes condemnarit, eo quod ipsi propugnarent, quod licitum sit sese opponere illis, qui conscientia libertatem opprimunt: aliunde vero forte etiam Zelotissimi fautores de arbitraria, & despotica suorum Principum potestate nunquam solidius differuerunt: proin Socinus facili negotio hanc Protestantium calumniam a se amoliri potuisset, si duntaxat suum librum contra Palæologum in medium protulisset: attamen ut ejusmodi accusationis funestos exitus præverteret, atque a talibus calumniis sibi præcaveret, consultius duxit, post quatuor annorum moram Cracovia excedere, atque ad Christophorum Morsteinium Nobilem Polonum, & egregium Unitariorum fautorem, ac Pawlikoviae Dynastam confugere.

§. LX:

Socinus matrimonio junctus, suaque uxore orbatus.

Socinus cum sese ab hominum tumultu expedire pararet, gravioribus, quam antea turbis, implicabatur, quidem non a Protestantium Ministellis, qui eidem ingenii sui dotes invidabant, tum vexatio ei imminebat, sed agendum potius ei erat tunc cum Pro-

Præpov. in vita F. Socini.

Nn 2 ceribus,

explica
d diri
as ante
us.,,

lonia

ansylva
exeunte
septua
um Ec
as repe
s eo in
opinio
a spuris
diliis
Regem
at extre
t, eun
o Polo
uo libro
feditio
intestina
e infesta
m hæc
manifesto
eos falsi
sum So
uperque
r, quod
ui arma
adver-

Sæcul. XVI. A.C. 1595. ceribus, ac primæ Nobilitatis Viris, qui ingenii sui acie, eruditionis fama, dogmatum novitate, perorandi facilitate, morum comitate, faceta indole, ejusque illecebris delusi illum sua amicitia, fiducia, ac patrocínio dignabantur: quinimo suis etiam fallaciis tam dextre Elisabetham Christophori Morsteinii filiam fascinabat, ut illam sibi uxorem copularet; qua affinitate sibi adhuc amplius Procerum benevolentiam promeritus plusquam integro anno in Morsteinii ædibus commorandi libertatem obtinuerat, ubi etiam suum opus contra Eutorpium concinnans omnes Unitariorum hostes strenue impugnabat, quamvis a suis æmulis non modo variis, ac sævis modis vexatus, sed etiam ab illis anathemate percussus fuerit, an autem hujus sententiæ causâ, illorumque agendi ratio æqua, vel iniqua fuerit, ægre decidi potest: ut res se habuerit, id minime dubium est, quod Socinus anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo septimo sua uxore orbatus tam immodicum inde conceperit dolorem, ut suæ valetudini maximum damnum inferens aliquamdiu ad studia nequaquam idoneus esset, ac nunquam languorem, quo obrutus erat, depellere posset.

§. LXI.

Sæcul.XVI.
A.C.1595.

*Socinus mortuo magno Etruriæ Duce
omnibus suis bonis exutus.*

Haud minori dolore percellabatur ob *Pezipcov.l.c.*
Francisci Medicæi magni Etruriæ
Ducis obitum: eo enim defuncto sese
fido amico, ac potenti Protectore, om-
nibus suis bonis, omnique spe orba-
tum cernebat; hucusque equidem cum
Isabella Medicæa Magni Ducis Soror,
& Pauli Jordani Ursini Conjux adhuc
vita superstes esset, sacræ Inquisiti-
onis Judices, qui hunc hæreticum om-
nium suorum bonorum jactura ad fa-
nora reduci putabant, suos conatus
incassum impendebant: ipsa etiam vi-
vis erepta adhuc ipsemet Magnus Dux
illum protegere studebat, necnon illum,
ut reverteretur, rogans eidem fidem
fecerat, quod ejus patrocínio tutus suis
proventibus libere frui posset, id autem
unice ab eo peteret, ne suis libellis no-
men suum apponeret: verum Socinus
hanc munificentiam in rem suam ver-
tere parum sollicitus, atque aliunde
spe sua delusus, quod apud erudi-
tos novis opinionibus infectos eximium
sibi nomen comparasset, duntaxat cum
magno Etruriæ Duce literarum com-
mercium prosequi intentus erat. Ast
mortuo hoc Principe Socinus pene in-

Nn 3 nume-

Sæcul. XVI. numeris, quibus omni ex parte petebatur, telis sese expositum sentiebat, tantoque impetu omnes calamitates conspirabant, ut omnes tumultus, & bella, quibus tum Polonia, & Sectariorum Ecclesiæ agitabantur, unice ad extremum Socini exitium excitata, atque continuata viderentur: ab aliis enim accusabatur, quod malorum, quibus Regnum afflictabatur, auctor existit: insuper alii in ejus culpam rejiciebant horrendum illud schisma, quo varix Novatorum factiones inter se scindebantur, unde sibi metipso gravis, ac jamjam illis, quibus apud Morsteinium Pawlikovix Dynastam convivebat, admodum molestus Cracoviam, adversam sortem suam declinaturus, revertebatur, ubi denuo studiis intentus difficiliore fidei controversias, ac questiones dilucidare aggressus est, ac pro viribus animos illorum omnium conciliare satagebat, qui supremam Christi Domini Divinitatem negantes circa alia capita inter se dissidebant. Ex hoc animi proposito eorum cætibus, disputationibus, & Synodis sedulo adesse studebat, necnon in Briesciensi conciliabulo Francisci Davididis discipulos tam acriter refellebat, ut non sine animi sui júbilo tandem suam opinionem a pluribus Ministellis approbari cerneret, cujus

cujus successus prosperitate sibi Profe-
lytorum numerum auxit, atque inter
eos Petrum Stoinski, Andréé, Stanis-
laum, & Christophorum Lubienieski
sibi conciliabat, ex quibus prior sua
eloquentia, ac profunda eruditione So-
cini errores valide suffulciebat, ceteri
vero tres tantopere ejusdem merita de-
prædicabant, ut ex affectu erga ipsius
doctrinam relictis Aulæ officiis ipsi Mi-
nistrorum munus suscipere non de-
dignarentur.

§. LXII.

Socini opera.

Toto hoc tempore Socinus varia edi-
dit opuscula, ac ipse in quadam
epistola die tertia Februarii anno Christi
millesimo quingentesimo nonagesimo
quinto ad Christophorum Morsteinium
data fatetur, quod sequentes libros ty-
pis impressos conscripserit. I. Respon-
sum ad Paleologum pro Racovianis.
II. Disputationem circa quemdam tex-
tum septimi Capitis epistolæ ad Ro-
manos. III. Adnotationes in Theses
Possnaniensis Collegii. IV. Dissertatio-
nem contra Volanum. V. Examen ar-
gumenti pro Unitate, & Trinitate Dei
unacum brevissimo responso ad quas-
dam assertiones. V. Synopsin nostræ
justificationis per Christum. VII. Tra-

N n 4 ctatum

Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

Sæcul. XVI ctatum de fide, & operibus, quantum
A.C. 1595 ad nostram justificationem conferunt.
 IX. Opusculum de auctoritate sacræ Scri-
 pturæ. X. Primam responsionem ad
 binas Francisci Davididis theses, an in-
 vocandus sit Christus Dominus. XI.
 Explicationem initii Evangelii sancti
 Joannis. XII. Antiwieckum Polonum.
 XIII. Disquisitionem de Christo Salva-
 tore. XIV. Antiwieckum latinum,
 quod opus tum adhuc sub prælo su-
 dabat. Sandius in sua Antitrinita-
 riorum Bibliotheca hisce elucubrati-
 onibus sequentem assignat ordinem, præ-
 primis enim recenset explicationem in
 prima verba capitis sancti Joannis una-
 cum præfatione, quæ Lælio Socino
 Fausti Patruo perperam adscribitur; hic
 enim eam jam anno millesimo quingen-
 tesimo quinquagesimo secundo compo-
 suit, eoquod in libro, quem contra Eu-
 torpium anno Christi millesimo quin-
 gentesimo octogesimo quarto ediderat,
 de hac explicatione mentionem fecisset,
 asserens, illam jam ante viginti duos
 annos fuisse scriptam, typisque vulga-
 tam: exstant quoque duæ hujus libri
 versiones, quarum una Polonice a Gre-
 gorio Pauli, altera Belgice concin-
 nata est.

Demum anno restauratæ Salutis
 millesimo quingentesimo quinquagesi-
 mo

mo Socinus italico idiomate scripsit Sæcul. XVI.
A.C. 1595.
tractatum de Authoritate sacræ Scri-
pturæ, nomen tamen suum non appo-
suit, illum vero postea latine reddidit,
qui etiam liber anno Servatoris nostri
millesimo quingentesimo octogesimo
octavo sub ementito nomine reverendi
Patris Dominici Lopez Societatis Jesu
Hispani typis impressus prodiit, brevi
tamen illum nequaquam Catholici Scri-
ptoris partum esse deprehendebatur,
quinimo ipsemet Socinus in sua ad Mor-
steinium epistola superius memorata hoc
opus sibi adscribit. Demum Anno In-
carnationis Dominicæ millesimo quin-
gentesimo nonagesimo secundo Nico-
laus Bernaldus Delphinensis Nobilis
hunc librum Gallice reddidit, addito
hoc titulo: *Liber de auctoritate sacræ
Scripturæ, Authore L. unacum Theolo-
gorum Basileensium annotationibus in que-
dam ejusdem libri loca.* Pariter Theodo-
rus Raphael Camphusius unacum notis
belgico idiomate hoc opus donabat an-
no Domini millesimo sexcentesimo vi-
gesimo tertio: insuper prodiit altera il-
lius editio unacum apologetica Cornelii
Vorstii præfatione: præfigitur quoque
epistola nuncupatoria Jacobi Sieninii
ad Sigismundum III. Poloniæ Regem
die vigesima Novembris Anno a Nativitate
Domini millesimo sexcentesimo sexto

Nn 5 Raco-

Sæcul. XVI. Racoviæ data: præterea libro de au-
A.C. 1595. thoritate sacræ Scripturæ anno Christi
 millesimo sexcentesimo undecimo Cra-
 coviæ typis edito adjuncta est Religio-
 nis Christianæ summa a Socino Italice
 scripta unacum quodam libello, cui
 titulus: *Scriptum breve*, quod Socini
 opiniones circa nostræ salutis a Christo
 Domino perfectæ conditiones continet,
 atque anno Domini millesimo quingen-
 tesimo septuagesimo quarto primam lu-
 cem aspexit.

Jam antea mentionem fecimus de
 disputatione circa Jesum Christum Sal-
 vatorem nostrum: allegato autem hoc
 scripto Sandius subjungit aliam differ-
 tationem de statu primi hominis, seu
 de ejus immortalitate ante ipsius la-
 psam contra Franciscum Puccium Flo-
 rentinum, ubi ad initium ponitur re-
 sponso ad decem Puccii argumenta
 Basileæ Anno Salutis nostræ millesimo
 quingentesimo septuagesimo septimo
 scripta: postmodum legitur ampla con-
 futatio defensionis eorundem argumen-
 torum edita Tiguri die vigesima septi-
 ma Januarii anno post Christum natum
 millesimo quingentesimo septuagesimo
 octavo edita unacum nuncupatoria
 Hieronymi Moscorovii epistola ad Prin-
 cipem Mauritium Hassiæ Landgra-
 vium: insuper Socinus præfato anno
 publici

publici juris fecerat posthumos Seba-
 stiani Castalionis dialogos de Prædesti-
 natione, electione, libero arbitrio, &
 fide; eisque præfixit eminentum nomen
 Felicis Turpionis Urbevetaui unacum
 ejus præfatione: porro hi Dialogi bel-
 gice redditi anno Christi millesimo quin-
 gentesimo octogesimo primo, ac demum
 millesimo sexcentesimo decimo tertio
 prodierunt: præterea responsio ad Fran-
 cisci Davididis theses anno a partu Vir-
 ginis millesimo quingentesimo septua-
 gesimo octavo, & nono concinnata præ-
 lum anno Salutis nostræ millesimo quin-
 gentesimo octogesimo reliquit, cui ad-
 jiciebatur Davididis defensio, quamvis
 genuinus illius auctor esset Jacobus
 Paleologus, ejusque Socii: insuper ad-
 debatur Francisci Davididis elucubra-
 tio, qua hæc responsio refellitur, sub
 titulo: *Confutatio Responsionis Faustinae*.
 Hoc opus quamvis mutilum anno re-
 stauratæ Salutis millesimo quingentesi-
 mo septuagesimo nono in Hungaria ty-
 pis vulgabatur.

Exstat ad hæc alia ejusdem libri
 editio latina, unacum responso ad Gre-
 gorii Blandrati argumenta, & Fran-
 cisci Davididis confutationem, qua Fau-
 stinianum responsum refellebatur. Hæc
 editio istum præferebat titulum: *Dispu-
 tatio de invocando Christo scripto habita a
 Fausto*

Sæcul. XVI.
 A C 1595.

Sæcul. XVI. *Fausto Socino cum Francisco Davidide*
A.C. 1595 Anno 1578. & 1579. paulo ante ejusdem
Francisci obitum. Porro hæc responso
 anno Christi millesimo quingentesimo
 septuagesimo nono elucubrata, ac plu-
 rimum aucta per Alexium Redecium
 anno Incarnationis Dominicæ millesimo
 quingentesimo nonagesimo quinto in
 minori forma excusa fuit: disputationi
 autem nonnisi anno millesimo quingen-
 tesimo septuagesimo nono Clusemburgi
 Mense Majo finis imponebatur. Cete-
 rum illius editioni ad initium præfigi-
 tur Fausti Socini epistola ad omnes verbi
 Divini Ministros, qui in Transylvania
 credunt, & profitentur, quod Deus
 unicus sit solum Pater Domini nostri
 Jesu Christi. in eadem hac epistola So-
 cinus responsi sui cunctationem excu-
 sans calumnias refellit in eum sparlas
 in quodam libello, qui sub nomine Fra-
 trum Transylvanorum longo post tem-
 pore divulgatus fuit. Scripta fuit hæc
 epistola Cracoviæ die decima quarta
 Julii anno Redemptionis nostræ mille-
 simo quingentesimo nonagesimo quinto,
 pro typis expensas suppeditante Palatino
 Joanne Kifeka primo Samogitiæ Præ-
 sidente.

Cetera Socini opera usque ad cur-
 rentem annum sunt sequentia. I. Di-
 sputatio circa Baptismum flaminis Cra-
 coviæ

Sæcul. XVI.
A.C.1595.

coviæ die decima quinta Aprilis anno
millesimo quingentesimo octogesimo
scripta, cui adjungitur responsio ad
prios, & postremas adnotationes ab
Andrea Dudithio factas unacum respon-
sione ad notas, quas Martinus Czecho-
vicius addiderat ad appendicem de Ba-
ptismo parvulorum, insuper ibi continen-
tur duæ epistolæ circa quæstionem de
Baptismo ad anonymos directæ, ea-
que opera in belgicum idioma fuere
translata. II. Socinus vulgavit respon-
sionem ad monitum Andreæ Volani circa
naturam, & essentiam Christi Domini
Filii Dei, necnon circa expiationem
peccatorum per eundem Christum Do-
minum factam: porro Socinus huic
operi primam manum admovit anno
Christi millesimo quingentesimo septua-
gesimo nono, paulo antequam in Po-
loniam venerat, illud vero magis lima-
tum emendabat, typisque edebat una-
cum epistola nuncupatoria ad Kiszka
Palatinum die decima quarta Junii
scripta anno Domini millesimo quingen-
tesimo octogesimo octavo. Huic operi e-
tiam ad omnia ea, quæ Volanus primo
libro opposuerat, responsio adjungitur,
atque scripta est hæc responsio absque
Auctoris nomine anno millesimo quin-
gentesimo octogesimo tertio, ac quinto
post anno typis edita, necnon Georgio
Blan-

Sæcul. XVI. Blandrato inscripta, ad quem Socinus quoque epistolam desuper exarraverat. A. C. 1595. Cuncta hæc opuscula belgice reddita anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto publici juris facta sunt. III. Socinus supra septimum epistolæ ad Romanos caput explicationem edidit sub nomine Prosperi Dyfidæi, eamque ad Joannem Niemoiovii circa annum millesimum quingentesimum octogesimo adornavit, cui adjuncta visitur ejusdem Niemoiovii epistola hanc in rem ad Faustum Socinum scripta præter istius responsionem ad eundem die vigesima quarta Martii anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo primo datam: quæ omnia anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio Cracoviensibus literis excusâ prodierunt. In hac explicatione movetur quæstio, an Apostolus in hoc loco ex propria persona de seipso jam per Christi Spiritum regenerato loquatur: porro hic liber ad belgicum idioma translatus anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto typis vulgatus est. IV. Socinus præter apologiam pro Cracoviensibus contra Paleologi librum anno millesimo quingentesimo octogesimo primo excusam, necnon præter adnotationes in theses Posnanienses *de trino, & uno Deo* contra novos Pauli Samosata

mosateni Discipulos editas anno mil-
 lesimo quingentesimo octogesimo tertio,
 etiam quædam composuit opuscula
 de variis argumentis, uti sunt I. ex-
 positiones, quibus Persona Spiritus
 sancti comprobatur. II. Adnotationes
 in Joannis Niemojovii scriptum contra
 aliquam partem disputationis de Christo
 Salvatore. III. Notæ in aliquod scri-
 ptum Polonicum de Regno Christi in
 terris. IV. Adnotationes in libellum
 Eberardi Spangenbergii de duabus be-
 stiis Apocalypticis. V. Objectiones,
 seu articuli Joannis Cutteni, Ministri
 Evangelici. VI. Brevis sermo de caus-
 sa, ob quam Christi Evangelio fides
 adhibeatur, vel denegetur. VII. Re-
 sponso illius, qui credit, sicut & illius
 pœna, qui non credit. Hoc opus Ita-
 lice scriptum latinitate donatum a
 Smalcio sub annum Domini millesimum
 sexcentimum duodecimum typis edi-
 tum est, insuper extat etiam alia illius
 versio belgica. VIII. Tractatus contra
 Millenarios, de Regno mille annorum
 Christi Domini in terris. IX. Dispu-
 tatio brevissima de carne Christi contra
 Mennonitas. X. Responso ad Cutteni
 objectiones. XI. Duæ epistolæ Nie-
 mojovii de Sacrificio, & invocatione
 Christi Domini, unacum Socini respon-
 sione anno millesimo quingentesimo octo-
 gesimo

Sæcul. XVI.
 A. C. 1595.

Sæcul. XVI.
A. C. 1595.

gesimo septimo data. XIII. Defensio adnotationum in Theses Theologicas Collegii Posnaniensis: *de trino, & uno Deo* contra Gabrielem Eutropium Sadedicum Posnaniensem Canonicum. Hoc opus dum nondum erat absolutum, elucubratur, & circa annum millesimum quingentesimum octogesium quartum, Racoviensibus literis unacum Moscorovii præfatione anno Domini millesimo sexcentesimo decimo octavo imprimebatur.

Elucubratis hisce operibus Socinus ea, quæ sequuntur, scripsit opera. I. Edidit disputationem inter Faustum Socinum, & Christianum Franken de honoribus Christo Domino debitis, in quibus discutebatur, an Christus, etsi modo perfectissimo Deus non esset, nihilominus adoratione religiosa honorandus sit, necne? Agitabatur hæc quæstio die decima quarta Martii anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo quarto in Christophori Morsteinii ædibus, anno autem millesimo sexcentesimo decimo octavo fuit impressa: ceterum Sandius observat, quod Christianus res ibidem enuntiarit, non prout re ipsa erant, sed prout ipsi videbatur, qua ratione esse deberent; quippe Caminecius coram Georgio Schomanno, Simone Ronnenbergio, pluribusque aliis

fate-

fatebatur, quod hanc disputationem describens minus attenderit ad ea, quæ Socinus affirmabat, quam ad illa, quæ ejus principiis consona essent. Ceterum ibidem adjiciuntur plures adnotationes, & responsa ad ea, quæ Christianus objecit præter quasdam correctiones eorum, quæ hic Socinum dixisse fingit. II. Quædam fragmenta exstant amplioris responsionis, quam Socinus contra Davididem circa articulum, an Christus non sit invocandus adornabat, verum illius nonnisi sex supersunt capita. III. Aliud habetur fragmentum adnotationum in cujusdam auctoris scriptum circa differentiam veteris, & novi Testamenti. IV. Prostant quæstiones aliquæ Davididis cum responsione Socini. V. Antitheses elucubravit in disputatione duorum Unitariorum. VI. Nonnullas adnotationes vulgavit in disputationem de invocatione Christi. VII. Scripsit de libro Apocalypsis, & argumentis, quæ exinde illi petunt, qui hanc invocationem negant. VIII. Tractatum composuit contra Semi - Judaizantes præter tres epistolas Martini Seidelii de Mellia unicum Socini responso.

Idem quoque Socinus insuper edit relationem disputationis, quam circa existentiam Filii unici Dei quidam

Hist. Eccles. Tom. LI. Oo Eras-

Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

Secul. XVI
A.C. 1595.

Erasmus, & Socinus, inter se habuerunt, ubi ille propugnabat, quod Christus Dominus fuerit verus unicus Dei Filius, priusquam a Beata Virgine natus erat, quod alter negabat. Hinc disputationi finis imponebatur die trigesima Novembris anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo quarto, undecimo autem post anno Racoviae imprimebatur, cui editioni ad initium præfixa legitur Fausti Socini prælatio ad Hieronymum Moscorovium: adjuncta quoque fuit quæstio de argumento, quod Erasmus Joannes Faulto Socino proposuit, præter hujus responsum, & Synopsin nostræ justificationis per Christum Dominum, quod opus primo sub nomine Gratiani Turpionis editum anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo primo typis excusum fuit, ubi plures exiguæ molis tractatus de hoc argumento adjecti reperiuntur, atque inter ceteros confutatio libri a Jacobo Wicco Jesuita in Polonia elucubrati circa divinitatem Filii Dei, & Spiritus sancti, ubi etiam refelluntur ea omnia, quæ Bellarminus circa hoc argumentum scripserat. Hæc responsio scripta est anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, & tertio Polonice edita, quam juvenis Petrus Statarius, seu Stoinski transtulit, prius

prius latine scriptam unacum Auctoris ^{saecul XVI.}
 praefatione die septima Septembris an- ^{A C 1595.}
 no Christi millesimo quingentelimo
 nonagesimo quinto elucubrata, atque
 sub Auctoris nomine iterato praelo ex-
 cusa. Ad hujus operis calcem Soci-
 nus pollicebatur, quod in lucem edi-
 turus sit librum, in quo argumenta con-
 tra dogma unius, & trini Dei passim pro-
 duci solita continerentur. Sandius exi-
 stimat, quod Socinus datam fidem se-
 fellerit, aut hoc opus in tumultu, cui
 Cracoviae anno millesimo quingentesi-
 mo nonagesimo octavo fuerat expositus,
 amissum fuerit. Nil ergo amplius su-
 perest ex ejus libris, quam ipsius de-
 fensio ob disputationem circa locum
 septimi capituli epistolae ad Romanos
 contra quemdam Ministrum evangeli-
 cum, quam defensionem Socinus die
 decima quarta Novembris anno mille-
 simo quingentesimo nonagesimo quinto
 datis ad Nicolaum Bernaldum celebrem
 Medicum literis eidem transmisit, a quo
 etiam belgice reddita est. Porro de
 reliquis operibus ab hoc tempore edi-
 tis sermo erit, dum ad annum Christi
 millesimum sexcentimum quartum
 hujus Scriptoris obitum referemus.

Sæcul. XVI.
A. C. 1595.

§. LXIII.

*Opiniones, atque errores Fausti
Socini.*

Hartnaci
in Synt.
contin.
Micrel. l. c.
Natal. Alex.
hist. Eccl.
Sæc. XVI.
Hoornbeck
l. c.

Ceterum omnes opiniones, & Fausti Socini errores quidam Historicus natione Germanus ad ducentas viginti novem propositiones redegit, ex quibus tamen nonnisi præcipuas adducemus; quippe non modo contentus, ut cum Lutheranis, & Calvinistis quædam Ecclesiæ Catholicæ dogmata rejecerit, insuper cunctos etiam ceteros articulos a Calvinistis retentos, imo & illos, quos Lælius Socinus ejus patruus adoptaverat, sua ferula perstringere aggressus est, & quidem primo propugnavit, quod Ariani nimium Christo Domino attribuerint, quocirca apertis verbis se Samosatenum, & Photianum professus hæc tradebat: „Christus Dominus non-
„nisi purus erat homo, qui ante suam
„ex Beata Virgine nativitatem non
„exstitit, proin nec dabatur præexisten-
„tia Verbi: insuper in divina essentia
„nonnisi unica reperitur Persona, ac
„sibi repugnat asserere, quod unus dum-
„taxat detur Deus, & hic tamen tri-
„nus sit in Personis: hæc ergo distinctio,
„unius in essentia, & Trini in Personis
„nunquam in sacris literis tradita fuit,
„sed aperte rationi, & veritati adver-
„satur.

„satur, cum certum sit, quod plures Sæcul. XVI.
 „non dentur essentiæ, quam Personæ, A.C.1595.
 „nec plures Personæ, quam essentiæ:
 „Dei Filius autem nonnisi per Meta-
 „phoram, & propter maximam Patris
 „potentiam Deus nominatur: porro hoc
 „nomen Deus in sacris literis duplici
 „modo accipitur, & quidem primo pro
 „magno, & unico Deo, qui cælum,
 „terramque creavit, cunctisque impe-
 „rat, & neminem se superiorem habet
 „&c. atque in hoc sensu vere asseritur,
 „quod nonnisi unicus detur Deus. II.
 „Significatur ille, qui a Magno Deo in-
 „solitam auctoritatem, virtutemque
 „recepit, aut quodammodo de Divini-
 „tatis perfectionibus participat, atque
 „in hoc sensu quandoque in sacris lite-
 „ris Jesus Christus appellatur Deus:
 „Spiritus vero sanctus non est Persona
 „Divina, sed virtus, ac Dei efficacia:
 „propterea sacræ literæ sæpius etiam
 „attribuunt ea, quæ nonnisi Deo com-
 „petunt, imo etiam nonnunquam ei
 „Dei nomen adscribunt, exinde vero
 „non concludendum, quod Spiritus
 „sanctus sit Persona Divina, alias etiam
 „inferendum, quod Sapientia, Provi-
 „dentia, &c. sint Personæ distinctæ. „
 Hi erant Socini errores circa Sanctis-
 simam Trinitatem.

Sæcul. XVI.

A. C. 1595.

~~1595~~

De Christo Domino hæc effutiebatur:
 „Hic Homo - Deus secundum suam Per-
 „sonam est verus homo, ac de illo id
 „tantum scire, cuilibet homini neces-
 „sarium est, scilicet, quod non sit pu-
 „rus homo, sed homo præter ordinem
 „communem, cum sit maximis gratiis
 „præventus, jam a sua nativitate cete-
 „ris eminens, atque independens ab
 „hominibus ex sola Spiritus sancti ope-
 „ratione conceptus, hancque ob ratio-
 „nem Angelus ad Mariam dixit: quod
 „ex te nascetur, vocabitur Filius Dei,
 „proin existit proprius Filius, & Filius
 „unicus Dei, quia non alius fuit hoc
 „modo cunctis hominibus usque ad tem-
 „pus haud cognito natus: ipse autem
 „Christus Dominus ante suam Matrem
 „non existit: appellatur tamen a divo
 „Paulo primogenitus omnium creatu-
 „rarum, quia eminet in dignitate pri-
 „mus ex omnibus novis creaturis, quæ
 „sunt Christiani, insuper etiam ob suam
 „conceptionem, suamque ab omni ma-
 „cula exemptionem novus est homo,
 „novaque creatura.„ Ceterum illis,
 qui Socini scripta pervolverunt, haud
 ignotum est, ad quas violentas inter-
 pretationes confugere coactus fuerit,
 ut sacras literas, & præcipue prima
 primi capituli verba, quæ in sancti Joan-
 nis Evangelio continentur, ad suum
 sensum

sensum detorqueret, prout in ejus libro Sæcul. XVI.
 contra Wickum patet: porro dum San- A. C. 1595.
 ctissimæ Trinitatis mysterium evertere
 aggressus fuerat, hinc necessario er-
 randi impetu actus etiam Incarnationis
 Mysterium negare compellebatur: qua-
 propter hæc primi capituli verba: *Ver-*
bum Caro factum est: ita legit: verbum
 caro factum fuit, seu ex ipsius senten-
 tia: „Hic Homo natus ex Maria, quem
 „Joannes tantopere commendat, eum-
 „que vocat Deum, & Verbum, per
 „quod facta sunt omnia, fuit imbecil-
 „lis, miseris plenus, a mundo despe-
 „ctus, humiliatus, abjectus, & morti
 „sicut ceteri homines obnoxius.

His quoque sequentes addidit er-
 rores: „Christus fuit Propheta, prius-
 „quam enim ipsum mundus cognove-
 „rat, in Cælum ad Deum Patrem suum
 „raptus ab eo plene edoctus est om-
 „nia ea, quæ salutis humanæ condi-
 „tionem respiciunt, aut ad suum Mi-
 „nisterium referuntur: postea plena præ-
 „ditus auctoritate ad homines descen-
 „dit, ut ibidem adimpleret Patris sui
 „voluntatem, cujus plenam hauserat
 „cognitionem. Eapropter Socinus ad
 propugnandam impietatem suam ad
 quoddam, quod Christus Dominus
 post suum Baptisma instituit, iter re-
 currebat, ut hujus delirii beneficio

Do 4 expli-

Sæcul. XVI. explicare valeret illum sancti Evangelii
A.C. 1595 textum sancti Joannis capite 3. versu 13
 ubi Christus Dominus de semetipso di-
 xit: *nemo ascendit in cælum, nisi qui de-
 scendit de cælo.* In sua responsione ad
 Wiekum, necnon in pluribus aliis locis
 affirmat, quod cultus, seu honor re-
 ligiosus, qui Christo Domino defertur,
 directe ad Deum referatur, Christo au-
 tem duntaxat respective ad suum Pa-
 trem tribuatur: postea sequentes addit
 blasphemias: „Christus propria virtute
 „non resurrexit, resuscitatus tamen
 „fuit in eodem corpore, in quo cum
 „Apostolis conversatus est, eisque in
 „eodem corpore apparuit, id tamen
 „unice ideo factum, ut eis certum da-
 „ret signum, quod resuscitatus fuerit:
 „porro in sua ascensione disparuit, adeo,
 „ut nihil amplius de carne, & sanguine
 „Christi extet, sed sit totus spiritualis,
 „talisque, quales sunt, qui carnem,
 „ossa, & sanguinem non habent: si
 „vero dicitur, quod Christus habeat
 „Corpus, id duntaxat relative ad ejus
 „essentiam verum existit, seu „prout So-
 cinus rem magis declaravit „ Corpus
 „Christi ante suam ascensionem non
 „fuit immortale, impassibile, spirituale
 „&c. quamvis resuscitatum; has autem
 „dotes primum post suam ascensionem
 „acquisivit. „ Præterea Socinus ever-
 tebat

Sæcul.XVI.
A.C.1595.

tebat Christi Redemptionem, totum-
que opus, quod ipse pro hominum fa-
lute operatus est, ad id restringit, quod
illos veritatem docuerit, virtutum he-
roicarum exempla præbuerit, suamque
doctrinam sua morte confirmarit: his
quoque subjunxit: „Christus Dominus
„non fuit Sacerdos ante suam ascen-
„sionem, imo non ipse functus est offi-
„cio Sacerdotis eo tempore, quo Cruci
„affixus fuit, nec mors ejus fuit Sa-
„crificium, sed præparatio ad complen-
„dam suam oblationem, quæ nonnisi
„post ejus Ascensionem consummata
„fuit. „

Circa hominem, & Sacramenta se-
quentes evomebat errores: „Homo
„ante lapsum suum non erat immorta-
„lis, nec mors naturalis, seu mortali-
„tas ingressa est in mundum per pecca-
„tum, sed unice necessitas moriendi,
„& mors æterna: nec Adam ante la-
„psum suum ornatus erat justitia ori-
„ginali, proin peccatum originale, gra-
„tia, & prædestinatio absoluta nonnisi
„figmenta sunt: minus vero Baptismus
„fluminis a Christo institutus est, proin
„Christianus illo non indiget: nihilo-
„minus in Baptismo post Christi resur-
„rectionem instituto aliquid continetur,
„quod ad quorundam peccatorum re-
„missionem conducit, eoquod ad publi-

O o 5 „cam

XXXI
ange
erlu
ipio d
qui de
ne ac
is locis
nor re
efertur
isto au-
m Pa-
s addit
virtute
tamen
o cum
que in
tamen
um da-
fuerit
adeo,
nguine
itualis,
arnem.
nt: si
habeat
ad ejus
out So-
Corpus
m non
rituale
autem
sionem
s ever-
tebat

Sæcul. XVI.

A. C. 1595.

„cam nominis Christi professionem de-
 „servit, sine qua nullus peccatorum suc-
 „rum remissionem obtinere valet, ve-
 „rum hæc ipsa, addit Socinus, remis-
 „sio non est usque adeo huic fidei pro-
 „fessionem annexa, ut sine illa subsistere
 „nequeat, cum ea obtineri valeat se-
 „cundum tempora, loca, vel alias res,
 „quas Ecclesia pro hac remissione de-
 „terminavit: proin Baptismus non erit
 „necessarius ei, qui independentem ab
 „hac professione publicam Nominis Christi,
 „suorum peccatorum remissionem im-
 „petrabit: inde ergo concludendum,
 „quod Baptismus novam generationem,
 „seu spirituales nec infantibus, nec
 „adultis conferat.

Quantum ad usum Cœnæ ita som-
 niabat Socinus: „Panis, & vinum,
 „quod ibi sumitur, nil aliud est, quam
 „manducare panem, & bibere vinum,
 „sive hic ritus peragatur cum fide, aut
 „sine ea, sive spiritualiter, sive corpo-
 „raliter id fiat: Cœna ergo non est Sa-
 „cramentum, nec alium habet finem,
 „quam ut memoriam mortis Dominicæ
 „revocemus: abusus igitur est credere,
 „quod Cœna nobis quasdam novas gra-
 „tias procuret, aut illas, quas possi-
 „demus, conservet; quippe omnes ex-
 „teriores res, quæ nos in divina veri-
 „tate, scilicet in fide, & gratia firmare
 „possunt.

„possunt, sunt aqua, Sanguis, & Spi- Sæcul. XVI.
 „ritus, seu innocentia, Martyrium, & A.C.1595.
 „Christi, Apostolorum & fidelium mi-
 „racula.

De fide, gratia, & Prædestinatio-
 ne Socinus sic delirabat: „Solus Spi-
 „ritus Dei nos in fide firmat, veteris
 „autem Testamenti iusti non fuerunt
 „iustificati per fidem in Christum Do-
 „minum, nec unquam vitæ æternæ
 „promissiones pro iis factæ fuerunt:
 „porro moralia novi Testamenti præ-
 „cepta sunt diversa a moralibus vete-
 „ris Testamenti mandatis: de cetero
 „omnes homines ex natura sua habent
 „propensionem, & potestatem operandi
 „omne id, quod Deus præcipit, dum-
 „modo ejusmodi homines per diutur-
 „nam in peccato habitudinem nolint
 „ipsimet Dei voluntati obstrepere: ne-
 „que etiam hominis vires adeo imbe-
 „cilles sunt, ut tunc, si sibi violentiam
 „inferre vellet, Dei auxilio adjutus om-
 „nia mandata observare non posset: in-
 „terim hoc auxilium est duplex, quo-
 „rum unum internum, alterum vero
 „externum, atque hoc consistit in pro-
 „missionibus, quibus Deus in sua lege
 „spondit, se opera remuneraturum;
 „hæc enim promissa excitant animum,
 „eumque ad ferventer operandum sti-
 „mulant: insuper consistit in minis, quibus

„bus

Sæcul. XVI. „bus Deus se peccata castigaturum mi-
 A.C. 1595. „nitatus est; quippe hæ comminatio-
 „nes hominem a legis transgressione
 „deterrent: denique etiam importat con-
 „firmationem, & repetitionem harum
 „promissionum, & minarum. Ceterum
 „auxilium internum etiam est duplex,
 „quorum alterum est donum, quod
 „Deus homini, qui ei obtemperat, con-
 „cedit juxta sua promissa eidem bene-
 „vole facta: alterum vero est illud, dum
 „Deus ipsemet hominem instruit, ut
 „melius de ejus voluntate edoceatur.
 „insuper Socinus affirmabat, quod in
 Deo non detur decretum, quo ab æter-
 no salvandos, vel reprobandos præ-
 definivit, nec etiam Deus perfectam,
 certam, ac infallibilem habuerit cogni-
 tionem rerum futurarum, quæ a liber-
 tate hominis dependent, nec ullum
 fecerit decretum circa eas res, quæ ad
 salutem, vel ad damnationem pertinent.

Socini errores circa animam, &
 resurrectionem erant sequentes: „Ani-
 „mæ a morte non vincuntur, aut im-
 „pii ad nihilum rediguntur, nec un-
 „quam pro sceleratis erit resurrectio,
 „& duntaxat ii, qui usque ad consum-
 „mationem sæculorum permanebunt,
 „judicabuntur, & cum dæmonibus in
 „ignem æternum præcipites agentur:
 „hic autem ignis æternus dicitur, non
 „ex

„ex eo, quod damnatos in æternum cruciaturus sit, aut quasi damnati non consumerentur, et si in hoc igne arderent, sed ideo æternus appellatur, quia damnati nunquam liberabuntur: „
 Inde ergo concludi potest, Socinum negasse, quod damnati, & dæmones æternas pœnas sustineant: imo aperte ait, quod in nihilum redigantur, quapropter etiam docet, quod mors, & infernus sint ille lacus igneus, de quo sanctus Joannes in vigesimo Apocalypsis capite mentionem facit: Socini autem ratio est hæc, quia absõnum videtur dicere, quod Deus peccata, quæ non sunt æterna, & infinita, æternis pœnis puniat, & continuo iram suam contra viles creaturas exerat: insuper asserit, quod iusti gloria cum Deo fruantur, impii vero annihilentur, proin hac ratione semper illi, qui gloria privati sunt, etiam patiantur.

Circa Ecclesiam hæc assererat; „Ea, quæ Ecclesia visibilis vocatur, non semper substitit, nec semper subsistet: „nec etiam perspicuæ, certæque dantur notæ, ex quibus certo vera Ecclesia designari valeat: nec etiam ab Ecclesia est expectanda veritatis Divinæ doctrina, nec ullus etiam, quænam sit vera Ecclesia, inquirere, aut discutere tenetur: insuper Ecclesia pe-

„nitus

Sæcul. XVI.
 A.C. 1595.

Sæcul. XVI.

A.C. 1595.

„nitus est collapsa, Apostolorum tamen
 „scriptis restaurari potest: nec vere
 „Ecclesiæ character est, quod omnes
 „illos, qui cum ea non sentiunt, con-
 „demnet, aut affirmet, quod extra ipsam
 „non sit salus: porro Ecclesia Aposto-
 „lica est illa, quæ in nullo errat quan-
 „tum ad res necessarias ad salutem,
 „quamvis errare possit in aliis doctrine
 „capitibus; nullum vero est Dei Ver-
 „bum, ex quo certo haurire possumus
 „fundamentales salutis articulos; jam
 „enim Antichristus regnare cæpit a
 „tempore, quo Romani Pontifices suum
 „Regnum inchoarunt, ac tum Christi
 „leges aboleri cæperunt, & vero cul-
 „tui idololatria fuit subrogata: quando
 „autem Christus Dominus Petro dixit:
 „*Tu es Petrus, & super hanc petram æ-*
 „*dificabo Ecclesiam meam,* nihil Petro,
 „vel collatum, aut promissum fuit, nisi
 „quod & reliquis Apostolis promissum,
 „datumque fuisset, ridiculum autem,
 „& inutile foret, si quis ex hisce Christi
 „verbis: *portæ inferi non prævalebunt ad-*
 „*versus eam,* inferre vellet, quod Eccle-
 „sia seduci, atque dæmonis artibus
 „everti non possit: verus ergo hujus
 „promissionis sensus est, quod infernus,
 „seu inferni potentia nunquam adver-
 „sus illos prævaleat, qui veri sunt Chri-
 „stiani, seu quod illi in mortuorum statu

„statu non permansuri sint: proin cla- Sæcul. XVI.
 „ves Petro a Christo Domino datæ nil A.C. 1595.
 „allud sunt, quam potestas ei relicta,
 „qua declarare, & indicare potest cun-
 „ctos ad Regnum cælorum pertinentes,
 „sicut & alios ad illud non spectantes,
 „seu vi hujus potestatis declarare va-
 „let, quinam sint illi, qui ad Christia-
 „norum conditionem pertinent, & a-
 „pud quos Deus in hac vita per gra-
 „tiam, & in altera, seu in cælo per
 „gloriam æternam, qua eos cumulabit,
 „mansionem suam facere voluerit.”

Circa disciplinam, & mores præ-
 ter alios errores, præcipue sequentes
 opiniones erroneas proferebat Socinus:
 „Lutherus, Zwinglius, Oecolampa-
 „dius, Calvinus, cunctaque spurixæ re-
 „formationis capita fidem, quam Con-
 „ciliis generalibus debemus, imo &
 „illam, quam a Concilio Nicæno hau-
 „simus, everterunt: Christiano autem
 „licitum non est bellum inferre, imo
 „nequidem sub auctoritate, & Princi-
 „pis cujusdam imperio militare, vel
 „opem cujusdam Magistratus implorare,
 „ut de illata quadam injuria ultio re-
 „poscatur; bellum enim gerere, sem-
 „per malum est operari, & agere con-
 „tra Christi præceptum: præterea Chri-
 „stus Dominus juramenta privatim facta
 „inhibuit, etsi id ad certas res affirman-
 „das

Sæcul.XVI
A.C.1595.

„das fieret: nihilominus ut suam opi-
 „nionem temperaret Socinus, addidit
 „quod tunc, si de rebus magni momenti
 „agitur, jurare liceat., Hæc insuper
 tradidit Socinus: „non licet Magistra-
 „tus officio fungi, si quis in hoc munere
 „vim adhibere tenetur, quod semper con-
 „tingit, eo quod vitia plectere, & im-
 „pios coercere tenetur, nec etiam Chri-
 „stianis hoc officium cuicumque alteri
 „conferre licet, imo ipsis nequidem per-
 „missum est, suam, vel aliorum vitam
 „vi etiam contra raptores, aliosque
 „hostes defendere, si eam alia via tueri
 „valent, non enim permittere potest
 „Deus, quod homo vere pius, & qui
 „sincere in Deo confidit, in tam funesta
 „reperiatur necessitate, ut suam vitam
 „cum proximi dispendio conservare
 „velit: si autem aggressor occiditur,
 „majus crimen committitur, quam esset
 „illud, quod ultionem quærens perpe-
 „traret, nam in vindicta duntaxat æ-
 „quale rependitur; tum vero, si meum
 „furem, vel inimicum prævenio, ho-
 „minem occido, qui duntaxat mihi
 „timorem incutiendi voluntatem ha-
 „buit, ut eo expeditius furari posset.
 „Denique Ministri, Prædicatores, Do-
 „ctores, ceterique nec missione, nec
 „vocatione indigent, hæc autem Divi
 „Pauli verba: *quomodo prædicabunt, nisi*
 „mittantur.

„mittantur? non se ad quascunque præ-
 „dicationes extendunt, sed duntaxat ad
 „novæ doctrinæ prædicationem, qualis
 „erat illa Apostolorum apud Gentiles
 „facta.,

Æcul. XVI.
 A. C. 1595.

§. LXIV.

*Religiosi Pœnitentes vulgo Piquepuci
 appellati recens instituti.*

Ad hunc annum refertur institutum
 Religiosorum Pœnitentium tertii
 Ordinis sancti Francisci: porro hic Ordo
 ab initio nil nisi utriusque texus sæcu-
 larium cætus erat: hodie vero ad Re-
 ligiosum Ordinem in viginti quatuor
 Provincias divisum excrevit, earumque
 sexdecim in Italia, & novem in Belgio
 numerantur: illæ vero a suo Generali,
 qui Romæ sedem habet, seorsim guber-
 nantur, ac Religiosi, qui eidem sub-
 jecti sunt, non aliter, ac Fratres con-
 ventuales vestiuntur, nec ab iis discre-
 pant, nisi in pileo nigro, & superpelli-
 ceo, seu humerali, quod in acumen
 desinit: illi autem, qui in Hispania, &
 Lusitania degunt, tresque habent Pro-
 vincias, sicut Fratres observantes ve-
 stiti incedunt, ac totius Ordinis sancti
 Francisci Generali subjiciuntur, sicut
 illi, qui in Galliis degunt, seque Fra-
 tres strictioris Observantiæ appellant,
 ac intra Regnum quatuor habent Pro-
 vincias, quæ ex sexaginta tribus Con-

*Herman.
 hist. des
 Ordr. Rel.
 Franc. Mar.
 Veron. an-
 nal. tertii
 Ord. S.
 Franc.*

Hist. Eccles. Tom. L.I.

Pp ven-

Spec. XVI.
A.C. 1595.

ventibus constant. Habitum ii deferunt ex fusci coloris panno, qui haud ab- similis est Capuccinorum habitui, iidem tamen rotundo utuntur capuccio, quod a reliquo habitu separatum est, insuper nigro funiculo cinguntur, ac lignea fa- tis alta deferunt Sandalia. Porro huic reformationi quidam Religiosus nomine Vincentius Mossart, seu Massare Pari- siensis anno Christi millesimo quingen- tesimo nonagesimo quinto initium fecit, primumque monasterium erexit in op- pido Francovilla inter Parisinam ur- bem, & Pontæsiam sito: alterum vero condidit Parisiis ferme extra suburbium sancti Antonii in loco, qui vulgo *Pique- puce* appellatur, unde etiam hi Religiosi a vulgo Piquepuci nominantur: in eo- dem hoc loco primam sedem olim si- gebant Capuccini, & post eos Jesuitæ Domus Professæ ad sanctum Ludovi- cum, hi tamen hunc locum utpote ab urbe nimis remotum derelinquebant: Ecclesia autem, quæ hodie dum visi- tur, anno Salutis nostræ millesimo sex- centesimo undecimo inchoata fuit, primumque lapidem ipsemet Ludovi- cus XIII. Rex posuerat.

Ceterum quamvis hoc monaste- rium nonnisi alterum hujus instituti cœnobium fuerit, semper tamen vel- uti primum habebatur, cum ferme in

in ipsa Metropoli situm esset, necnon a Rege fundatum diceretur: porro vero nomine hi Religiosi appellantur Fratres Pœnitentes tertii Ordinis sancti Francisci, atque ejusdem instituti duo Virginum monasteria numerant, præter quindecim circiter alia in Galliis, ex quibus tamen præcipuum est illud sanctæ Elisabethæ Parisiis prope Templum.

Sæcul. XVI.
A C 1595.

§. LXV.

Liber de Concordia a Molina recens editus, tumultusque exinde exorti.

Jam anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo octavo Ulyssipone Pater Ludovicus Molina Jesuita librum quemdam ediderat, quo mox acribus omnino disceptationibus fomitem subministrabat, huic suo libro titulum præfigens: *Concordia liberi arbitrii cum gratia*: cum autem physicæ prædeterminationis sententiam indigno modo ibidem traduceret, Dominicus Bannæz eruditissimus Fratrum Prædicatorum Theologus hunc librum resellebat, demonstrans, quod hic Jesuita erronea innovaret dogmata, quæ non ita pridem generalis Inquisitio Castellana proscriperat dum anno Redemptionis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo primo Patris Montemajoritidem Jesuitæ propositiones damnaverat: verum Molina jam antea satis

Hist. Congr.
de auxili.
l. 1. c. 13.

Sæcul. XVI.
A.C. 1595

provide sui libri securitati prospexerat, dum eundem a Patre Ferreira Dominicano librorum Censore approbari curabat, cumque hic non sine elogio librum rati haberet, Molina hac approbatione fretus ab ipso supremo Lusitanæ Inquisitionis Præfecto licentiam impetrabat, ut hoc opus suum, accedente etiam Castellani, & Arragonensis Senatus privilegio, in lucem edere posset: præterea cum Albertus Cardinalis Austriæ Archidux & Rudolphi Cæsaris Frater, tum Lusitanæ Prorex sanguinis, & affinitatis vinculo Francisco Borgiæ olim supremo Societatis Moderatori junctus esset, hinc Jesuitas potenter, ac speciatim Molinam protegebat, unde Bannesii querelæ nequaquam hujus Principis animum tangebant: felicitatis tamen successus spes non paucos excitabat, ut Molinæ librum, ejusque opiniones impugnarent, quinimo ex ipsa Societate nonnulli se huic novitati opponere, ac præprimis Henricus Henriquez Lusitanus olim Salmanticæ Professor non modo viva voce, sed etiam edito hanc in rem libro theologico, cui titulus: *de sine hominis*: Molinæ librum impugnabat, suum tractatum anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo tertio typis edens: insuper anno sequenti rursus

rursus hunc Molinæ librum censura perstringebat. Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

§. LXVI.

*Pontificis diploma pro præcavenda
dissensione editum.*

Interea disputantium æstus non modo in Lusitania, sed in Hispania inter Jesuitas, & Dominicanos indies magis effervescebat; hi enim suarum partium esse credebant, ut rem ad supremum Regni Castellani Inquisitorem, qui tum erat Cardinalis Quiroga Toletanus Archiepiscopus, deferrent: cum autem hic Præsul hanc disputationem in apertum schisma degeneraturam videretur, gravibus admodum verbis totam rei seriem ad Pontificem perscribebat: eapropter Clemens VIII. ad Toletanum Archiepiscopum, necnon ad Camillum Cajetanum tum Madriti Sedis Apostolicæ Nuntium ineunte Mense Julio anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo quarto diploma dedit, in quo hujus negotii cognitionem Archiepiscopo, & Nuntio interdicit, ubi hæc tria puncta per Camillum nomine, atque authoritate sua sub gravissimis pœnis Superioribus dictarum Religionum præcipit, & quidem primo suis quoque Religiosis interdicit, ne acribus verbis, aut injuriis super his quæstionibus de gratia,

*Hist. l. c.
cap. 17.*

Pp 3

publi-

Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

publice, aut privatim in defensionibus thesium, aut alia quacunque occasione utantur, aut sese mutuo condemnent, quoad usque controversia per Sedem Apostolicam decisa fuerit. II. Utriusque Religionis Provincialibus injungit, ut hi ex suis doctissimos seligant Theologos, qui utriusque Scholæ sententias circa gratiam, Prædestinationem, scientiam, & voluntatem Dei examinent, easque solidissimis argumentis ex sacris Paginis, & Ecclesiæ traditione petitis corroborent. III. Denique mandat, ut Hispaniæ Universitates, (*) Episcopos, & doctiores Theologos circa controversias hæc quæstiones in consilium vocent, atque ab eis illorum sententias scriptotenus exigant.

§. LXVII.

*Molina suam doctrinam vindicaturus
Madritum delatus.*

*Hist. l. c.
pag. 120.*

Has igitur literas Nuntius die decima quinta Augusti anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo quarto ad utriusque Ordinis Provinciales transmiserat, easque in

P p 4

(*) In Historia Congregationis recitantur literæ Camilli jussu Pontificis exaratae, de postremo tamen hoc mandato nulla fit mentio, quod etiam præfatæ Historiæ Auctor observat his verbis: *nihil in hac epistola de consulendis Academicis.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1595.

executionem deduci curaverat, cum
 hisce altercantibus silentium utrinque
 imponeret: in mense autem Septem-
 bri supremus Castellæ Inquisitor hanc
 epistolam transcriptam ad omnes ju-
 risdictionis suæ Inquisitores transmit-
 tebat, eis injungens, ut severitate
 utantur in eos, qui in superhabito San-
 ctitatis suæ mandato hæc quæstio-
 nes agitare, ac mutuis censuris per-
 stringere tentaverint: præterea ad
 Universitates, Episcopos, & doctio-
 res Hispaniæ Theologos literas da-
 bat, ut & ipsi suas de super senten-
 tias aperirent: attamen Molina vix
 hæc mandata a supremo Inquisitore
 data compererat, cum illico Madri-
 tum contenderet, ut coram Inquisi-
 tionis tribunali suam defenderet do-
 ctrinam, quinimo eodem tempore
 ipse quosdam propositiones ex Do-
 minici Bannez, & Francisci Zumel,
 (*) scriptis decerptas denuntiabat, quas
 ipse censura dignas esse ajebat, pro-
 fessus tamen, quod id nequaquam
 vindictæ studio, sed unice veritatis
 amore impulsus attentasset: verum
 supremus Inquisitor Venerabilis non-
 agenarius senex. (**)

Pp 4 in

(*) Hic erat ex Ordine Beatæ Virginis
 de Marcede.

(**) Hic erat Cardinalis Quiroga Tole-
 tanus Archiepiscopus, non Dominicanus,

Sæcul. XVI. in responsis dedit: „Scias velim,
A.C. 1595 „indignum esse, ut accusatus accusa-
 „toris personam sustinere velit: tuam
 „causam præprimis examinare, ac di-
 „scutere oportet, priusquam de alio-
 „rum doctrina examen instituire con-
 „veniat.„ Hoc responsum displicuit
 Molinæ, qui haud immerito perti-
 mescebat, ut non ipsius causa in
 Hispanicæ Inquisitionis Tribunali, præ-
 valentibus Dominicanis, haud pro-
 sperum sortitura sit exitum: cum au-
 tem hic idem supremus Inquisitor die
 decima nona Novembris anno Do-
 mini millesimo quingentesimo nona-
 gesimo quarto animam Deo redde-
 ret, hujus rei progressus sistebantur.

Vacante illius officio Societatis
 Theologi Mense Decembri Inquisitio-
 ni juxta Pontificis mandatum expli-
 cationem suæ Doctrinæ circa gra-
 tiam porrigebant, paulopost tamen
 Madritum aliud diploma Apostolicum
 Cardinali Quirogæ jam defuncto in-
 scriptum advenerat, quo Papa rur-
 sus inhibebat, ne de gratiæ Divinæ
 argumento disputaretur, aut hac de
 re publice, in Scholis, & libris, seu
 aliis assertionibus ad hanc quæ-
 stio-

sed Presbyter sæcularis, qui arcta cum S.
 Ignatio amicitia junctus duo Collegia Jesui-
 tis fundaverat. Vid. Lib. CLXXXI. S. 13.

Sæcul. XVI.
A.C.1595.

stionem recurrentibus ageretur: cum ergo hoc diploma ad Nuntium deferretur, hic illud exequi statuit, donec alius Inquisitionis Præfectus nominaretur, qui erat Hieronymus Manriquez Abulensis Episcopus, hac dignitate auctus, cujus possessionem hoc anno die sexta Maji accepit, & quamvis nonnisi quatuor circiter Menses, utpote eodem adhuc anno die prima Septembris vivis ereptus, hoc officio fungeretur, nihilominus in hanc Molinæ causam inquirere, ac eam dijudicare aggrediebatur, quamvis illius cognitio ejus Prædecessori a Pontifice interdita fuisset,

§. LXVIII.

Causa circa Molinæ librum Romanam evocata.


In hac rerum vicissitudine, Hispaniæ Provinciæ Dominicanæ suæ doctrinæ expositioni, necnon apologiæ adversus Molinam postremam admovere manum, suumque scriptum sub nomine Apologiæ Inquisitionis Tribunali, & Nuntio Apostolico die vigesima Novembris hoc anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quinto exhibebant: ast anno sequenti die decima Januarii Clemens VIII. ad Castellanam Inquisitionem aliud diploma mittebat, eidem in-

*His. Congr. pag. 121.
Ripalda t. 2. disp. 113. sect. 9.
Ortega t. 1. contr. 3.
disp. 14. 4
conc. 3.*

P p 5 hibens

Sæcul. XVI.
A. C. 1595.

hibens, ne hac in quæstione sententiam ullam pronuntiaret, aut in hac causa cognosceret. Sub idem quoque tempus præcipiebat, ut quamprimum fieri posset, Universitatum, Episcoporum, atque utriusque partis Theologorum explicationes, & censuræ Romam mitterentur, quatenus ibidem hoc negotium tandem decideretur: insuper novas comminationes in eos intentabat, qui de gratia, vel de quæstionibus ad hanc quæstionem spectantibus agerent, donec sacra Sedes desuper suum protulisset iudicium: cum autem Petrus Portocarrerus Conchensis Episcopus die septima Junii in supremi Inquisitoris munere Manriquesio subrogatus fuisset, hic Papæ jussis obtemperaturus, die sexta Octobris hoc eodem anno omnes censuras, cunctaque iudicii acta a suis Auctoribus subscripta, ac sigillis munita transmisit, eaque Joanni de Hanto Cajetano Episcopo deferenda tradidit, unacum utriusque Ordinis Religiosorum literis, quibus perfectæ suæ erga sacram Sedem submissionis testimonium exhibebant. Attamen hac causa Romam evocata celeberrimis illis Congregationibus *de auxiliis*, de quibus postea mentio occurret, occasio nata est.



OBSER-